

R-118

(P.S.A.)
VILLAVICENCIO, Lorenzo de (XVI)

De Reconomia sacra circa


libri tres

pauperum eorum . . . / auctore . . .

Laurentio à Villavicentio . . . — *

Parisii : Apud Michaelem Sonnum

, 1564



2024

DE OECONO-

MIA SACRA CIRCA

PAUPERVM CVRAM A CHRIS-

to instituta, Apostolis tradita, & in vniuersa eccle-
sia inde ad nostra vsque tēpora perpetua religione
obseruata, cum quarundam propositionum, quæ
huic sacrae œconomia aduersantur, confutatione:

LIBRI TRES.

*Authore fratre Laurentio à Villanicientio Xere-
sano Doctore theologo Augustiniano eremita.*

Chrysostomus homelia 30. in caput duodecimum prioris
Epistolæ ad Corinthios:

*Mendicis quid esse vilius potest? sed illi tamen ipsi vsus ecclesie, tem-
plorum foribus admoti pulcherrimum quendam, & ornamentum ma-
ximum prestant, ut his sine plenitudo ecclesie perfecta esse non possit.*

PARISIIS:

Apud Michaelem Sonnum, sub scuto
Basiliensi, via Iacobæa.

M. D. LXIII.

CVM PRIVILEGIO.



Edeldegis Jectrigon

TENOR PRIVILEGII.

Regis priuilegio cautum est, ne quis librum, cui titulus est, *De œconomia sacra circa pauperum curam à Christo instituta, &c. authore Fratre Laurentio à Villanicetio Xeresano Doctore theologo Augustiniano eremita*, citra Christophori Plantini voluntatē, à die impressionis absolutæ ad sexennium imprimat, aut impressum importet, venalem' ve habeat. Qui secus faxit, confiscationis librorum, & quinquaginta florenorum pœna, fisco Regio exoluenta, multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expressum est. Dato Bruxellæ vltima Augusti, anno Domini M. D. LXIIII.

Signat. Ia. HuIoel.

3

SACRO CATHOLICO ET
PIENTISSIMO DOMINO
PHILIPPO HISPANIA-
RVM REGI MAXIMO.



*V*INAM Rex chri-
stianissime, omnes illi mor-
tales qui se hodie Christia-
nos profitentur, tam es-
sent in asserenda reli-
gionis catholicae verita-
te & doctrina feruentes atque constantes,
quàm nomen ipsum superciliosè iactant. Sed
proh dolor, vt hæc insignis & verè heroica
est virtus, ita si omnes ab initio vsque
mundi ætates memoria repetas, rara & à
paucissimis culta fuit. Multi enim ignaui
& socordes, quasi ea res nihil ad ipsos atti-
neret, Dei Ecclesiam atque doctrinam op-
primi securè passi sunt: bona verò pars pa-
lâm aduersa & violento furore ita est ad-
uersata, vt de ea conuellenda anxia diu mul-

A 2

tumque

tumque cogitauerit. Verum ut de aliis taceam, hoc saltem in presentibus ecclesie catholicae miseris & grauissimis calamitatibus solatium non vulgare censi iure potest, quod tu Philippe Regum maxime, ista ingenij animique incomparabili prestantia ad ecclesie Romanae eiusque diuinam dignitatem & pietatem tuendam diuinitus sis excitatus, ac tuum in ea parte obsequium Deo tam studiosè offeras, quam illi gratum probatumque esse cognoscis. Et si enim per alios principes & consiliarios, qui tuas vicarias vires tenentes in varijs regnis atque prouincijs (in qua late tua patet authoritas) negotia gerantur, & ita tum serenissima Margareta Parmae & Placentiae Ducissa, Maiestatis tuae charissima sorori Belgarum gubernatrici, tum plerisque alijs cordi est religionis antiquae cōseruatio, amplificatioque, ut in ea retinenda atque amplificanda sedulo, ut par est, laborent: sic tamen omnium studia vnus praecurris, ut facile appareat, non

non minimum illis esse calcar, quem in te
perspiciunt ardorem. Neque enim heroica
modò in te pietas, & quidam virtutum
christianarum nobilissimi fructus (quod ta-
men in ista ætate præclarum videri solet)
fama celebrantur, sed eorum fructuum ad-
mirabilis quædam potentia & fructuosissi-
ma commoda, quæ plenis animis non raram
modò laudem, sed admirationem etiam con-
ciliant. Pietas verò tua præsertim sic lau-
datur, vt habituram ecclesiam catholicam
Romanam certò mihi persuadeam, qui ea-
dem reuerentia, zelo, amore, atque studio
ipsam in sua excellentia splendorem, & am-
plitudinem restituendam suscipiat, in quam
olim magnus ille Constantinus superba illa
Romani imperij celsitudine demissa, dum se
quoque Christo submitteret, eandem cun-
ctis mortalibus admirandam & vti veram
Christi sponsam confitendam euexit. Scis
Rex christianissime, quàm fœlices & secur-
dos successus huius ecclesiæ catholicæ religio

in tuis, tuorumque maiorum antiquissimis regnis, & amplissimis ditionibus sit semper consequuta: quàm item luculentos atque pretiosos eiusdem religionis catholicae semina, etiam tuorum maiorum foelicissimis auspicijs in Hispania, Austria, & Belgia terra mandata, suoque etiam heroico sanguine non semel irrigata, produxerint fructus. Qui tales ac tantos harum provinciarum annales fuisse testantur, ut cum laudari maximè debeant, minimè possint, nulla fuisse regna, nullas provincias, nullas ditiones, nullas denique ciuitates, nec alicuius principis regiones, & si illas in medium velis proferre, in quibus viua illa Apostolorum insonuit doctrinae Christi proclamatio, & in quibus ex ipsorum proprijs manibus consitis primis arbusculis, flores virginitatis, martyrij, ac deuotionis, diuinarumque aliarum virtutum, quae ecclesiae Dei singulare ornamentum solent adferre, speciosissimi refulsere, in quibus constantior, firmior,
atque

atque feruentior in ecclēsiā catholicā, eiusque religionem cultus fuerit, quā in his ditionibus, in quas tui imperij sceptrum protensum videmus, historiæ quæ antiquorum facta & presentium literis prodita continent, euidenter nobis testantur. Sed ne continuos haberet successus hæc fœlicitas, obstitit hominum malitia, & ingratitude: siquidem nostro tam miserando hoc seculo emerfit ex inferno quorundam hominum genus, horrendum planè ac detestandum, qui infernali furore agitati in suam veram matrem, quæ ipsos in Christo genuerat, & in charissimam Christi sponsam sceleratâ consœderatione conspirantes ipsam suo nobilissimo & vetustissimo habitu nudarunt, diuina auctoritate spoliarunt, priuarunt splendidissimo decore, ac tandem in miseram postea deformitatem redegerunt. Quam, si possent, prorsus conuulsam in præceps dedissent, ne vsquam eius vel minima extaret memoria: semper tamen Deus (vt est be

nignus, & prestabilis super omnem malitiam) in sinu suo, atque sub alis diuina protectione reliquias quasdam puras & incontaminatas in sui sacri templi reparationem construendam collectas reseruauit. Harum sacrarum reliquiarum inter prophanos principes tu singulari & summo Dei beneficio videris caput constitutum, cui Deus suae ecclesiae defensionem, tutelam; & patrocinium videtur manifestissime commendasse. Nam quod ad tuae felicitatis magnitudinem illustrandam multum habet momenti, diligenter, quae so, Rex christianissime, animaduertere velis, nullius principis in vniuersa Europa regna, nec ditiones illaesa & intemerata ab hac pestifera contagione reperi posse: praeterea ea quae tuo parent imperio, quod nec fato profecto, nec tuae tantum industriae, aut humano merito tribuere nulla ratione potes, nec debes: sed diuino fauori, cuius erga te non rara Deus optimus nobis tuis subditis, tibi que maxime contemplanda
edidit

edidit argumenta. Proinde nisi tantorum fauorum indignus vis deprehendi, iniurijs contumelijsque, quæ ab istis sceleratis hæreticis ecclesiæ catholicæ quotidie irrogantur concitatus, ad publicam miserorū catholicorum caussam pro tua consuetudine, & officio suscipiendā te ornes oportet. Nam ipsa ecclesiæ catholicæ externa species facile videtur ostentare, quàm vasta & confusa ubique rerum sacrarū, sanguinis Christi, sacramentorū, ecclesiarum ministrorū, ac demum omnium dogmatum sacrorum extet dissipatio. Et videmus hodie Zuttembergicū illum antichristum, Lutherū scilicet, & Geneuensium infernale idolum Caluinum per suas proles singulari studio contendere, ubi possit, sacrilega tyrānide, sanctuario Dei cōuulso, sathanæ arā erigere, vt quidquid Dei est, disiectū & oppressum sub pedibus suis habeant. Prodigosissimis horroribus hæ furie tartaræ doctrinæ Christi puritatē corrumpunt, Dei cultum obruunt, innumeros

nignus, & præstabilis super omnem malitiam) in sinu suo, atque sub alis diuina protectione reliquias quasdam puras & incontaminatas in sui sacri templi reparationem construendam collectas reseruauit. Harum sacrarum reliquiarum inter prophanos principes tu singulari & summo Dei beneficio videris caput constitutum, cui Deus suæ ecclesie defensionem, tutelam, & patrocinium videtur manifestissime commendasse. Nam quod ad tuæ felicitatis magnitudinem illustrandam multum habet momenti, diligenter, quæso, Rex christianissime, animaduertere velis, nullius principis in vniuersa Europa regna, nec ditiones illæsa & intemerata ab hac pestifera contagione reperiri posse: prætereà ea quæ tuo parent imperio, quod nec fato profecto, nec tuæ tantum industrie, aut humano merito tribuere nulla ratione potes, nec debes: sed diuino fauori, cuius erga te non rara Deus optimus nobis tuis subditis, tibi que maxime contemplanda edidit

edidit argumenta. Proinde nisi tantorum fauorum indignus vis deprehendi, iniurijs contumelijsque, quæ ab istis sceleratis hæreticis ecclesiæ catholicæ quotidie irrogantur concitatus, ad publicam miserorū catholicorum causam pro tua consuetudine, & officio suscipiendā te ornes oportet. Nam ipsa ecclesiæ catholicæ externa species facile videtur ostentare, quàm vasta & confusa ubique rerum sacrarū, sanguinis Christi, sacramentorū, ecclesiarum ministrorū, ac demum omnium dogmatum sacrorum extet dissipatio. Et videmus hodie Vuittembergicū illum antichristum, Lutherū scilicet, & Geneuensium infernale idolum Calvinum per suas proles singulari studio contendere, ubi possit, sacrilega tyrānide, sanctuario Dei cōuulso, sathane arā erigere, ut quidquid Dei est, disiectū & oppressum sub pedibus suis habeant. Prodigosissimis horroribus hæ furie tartaræ doctrinæ Christi puritatē corrumpunt, Dei cultum obruunt, innumeros

A 5 lares

lares, manes, deos, & pleraque alia turpissima monstra falsorum dogmatũ suis sequacibus profitenda fingunt. idque homuncionũ quorundam nefariorum, qui manifesta vitæ improbitate sunt cõmaculati, qui que fœdissima luciferi sunt mancipia, ausu & temeritate infernus perficere hætenus procuravit, procuratque modò. Obtinuit, proh dolor, hæc pestis apud Germanos, Heluetios, Anglos, Scotos, ac Septentrionales, & apud quàm plurimos Gallos, ut quæ sumpta certum excidiũ sit allatura, pro pharmaco singulari contra omnia venena presentissimo celebretur, & ab illis gentibus quas nominavimus, in suæ animæ salutẽ sumatur. Res sanè cõmiseratione dignissima, & quæ summis lamentationibus à viris pijs esset deflenda: sed quamvis hæc maxima sit calamitas, est alia tamen, quæ omnium Christianorum cordibus non minorẽ dolorem, vbi seriùs animo agitur, debet adferre, scilicet quòd diabolus tanta strage in Rep. Christiana facta,

*facta, minimè contentus quiescat, verùm im-
portunissimis, & callidissimis artibus in-
stet, urgeat, & impensè conetur eam partē
Dominici gregis, quam diuina misericordia
inuiolotam nobis reliquit, inficere atque con-
taminare, vt in genua procubentes diuinis
honoribus ipsum colant, ac venerentur. In
quo negotio tam est sedulus, sagax, callidus,
& versutus, vt non vsque adeò infœliciter
(nostris peccatis hoc postulātibus) ipsi sēper
sui cedant conatus. Siquidem in tuis ditio-
nibus apud Belgas, Rex christianissime, non
crederes quantos progressus hæc sua impia
& infernali cōtentione fecerit: nam præter
sordidas colluies pessimorū hominum, quæ
alunde profusæ in tuas Belgarū ciuitates,
quotidie alia regna exonerāt: sunt plerique
aliij illic nati, qui aduonarum societate impu-
ras, & hæreticas doctrinas exhaustas ita
probant, vt non tantum mordicus teneant,
verùm improbo ore alijs amplectendas an-
nuncient, & proponant. In cuius muneris
exequu-*

exequutione tam strenuè se gerunt, vt plures discipulos, & audaciores ipsi priuatis tantùm suis colloquijs, atque conuenticulis clandestinis, vel nocturnis, quàm publicis declamationibus veri Christi præcones sibi cõparent. Insidiantur supra modum pudicitie virginali ecclesie catholice, puritatem doctrinae infestant, unitatẽ proscindunt, disciplinae seueritatem laxant, antiqua statuta conuellunt, vetusta odere, noua exoptant, & odio pietatis mutari omnia studet, turba et seditioibus sine cura aluntur: quoniã voluptas, vt ille dixit, facile habetur sine eorũ damno. Proinde te, Philippe Rex maxime, & christianissime, nominatim hic appello, imò Deus ipse per os Isaie serui sui te compellat, vt quidquid habes viriũ ac potentie, ad conseruandam & prouehendã quæ in tuis amplissimis ditionibus iam pridẽ floruit, Christi catholicam religionẽ, sceleratorũ hominũ furore impugnatam, & concussam, videtur conferre, pergas. Primum has tibi

in ditionibus, quibus præfectus es, impositas esse partes quotidie ex tuis concionatoribus audis, præsertim quando Isaie Vaticiniũ illud tibi intelligendum illustrat, quòd reges ecclesiæ nutritios appellant, opem illi tuam, quam afflictã implorat, deesse non patitur. Neque etiã leuiter animũ tuũ afficere debet, quòd Væ regibus ac populis omnibus denuntiat Propheta, qui suo illam subsidio fraudarunt. Quid deinde flagitet temporũ necessitas, clarè Maiestas tua videt. Etiã si satagendo non admodum proficeres: quia tamen gratũ hunc Deo cultũ esse nosti, adeoque suauißimi odoris sacrificiũ, nihil quantumuis aduersum, abducere te ab instituto deberet: nihil enim omne genus obstaculis tam clausum obstructumque erit, quod non sibi peruiũ facturũ sit Deus in sua ecclesia liberanda. Te verò, Rex christianissime, pro iniuncti muneris ratione acriter excitari operæ precium est: cum reges omnes, et magistratus sub Cyri persona hortetur Isaias, vt

labo-

exequutione tam strenuè se gerunt, vt plures discipulos, & audaciores ipsi priuatis tantùm suis colloquijs, atque conuenticulis clandestinis, vel nocturnis, quàm publicis declamationibus veri Christi præcones sibi cõparent. Insidiantur supra modum pudicitie virginali ecclesie catholice, puritatem doctrinae infestant, unitatẽ proscindunt, discipline seueritatem laxant, antiqua statuta conuellunt, vetusta odere, noua exoptant, & odio pietatis mutari omnia studet, turba et seditiõibus sine cura aluntur: quoniã voluptas, vt ille dixit, facile habetur sine eorũ damno. Proinde te, Philippe Rex maxime, & christianissime, nominatim hic appello, imò Deus ipse per os Isaie serui sui te compellat, vt quidquid habes viriũ ac potentie, ad conseruandam & prouehendã quæ in tuis amplissimis ditionibus iam pridẽ floruit, Christi catholicam religionẽ, sceleratorũ hominũ furore impugnatam, & concussam, videtur conferre, pergas. Primiũm has tibi

in ditionibus, quibus praefectus es, impositas esse partes quotidie ex tuis concionatoribus audis, praesertim quando Isaie Vaticiniū illud tibi intelligendum illustrat, quod reges ecclesiae nutritios appellant, opem illi tuam, quam afflicta implorat, deesse non patitur. Neque etiā leuiter animū tuū afficere debet, quod Vae regibus ac populis omnibus denuntiat Propheta, qui suo illam subsidio fraudarunt. Quid deinde flagitet temporū necessitas, clarē Maiestas tua videt. Etiā si satagendo non admodum proficeres: quia tamen gratū hunc Deo cultū esse nosti, adeoque suauissimi odoris sacrificiū, nihil quantumuis aduersum, abducere te ab instituto deberet: nihil enim omnē genus obstaculis tam clausum obstructumque erit, quod non sibi peruiū facturū sit Deus in sua ecclesia liberanda. Te verò, Rex christianissime, pro iniuncti muneris ratione acriter excitari operæ precii est: cum reges omnes, et magistratus sub Cyri persona hortetur Isaias, ut

labo-

laborati ecclesie, in statu recuperando manum porrigant. Quanquam tua & Cyri in eo dissimilis est ratio, quod ille, qui alienus à grege Domini erat, nunquam velut ex professo edoctus fuit, ut sponte se & ex animo vindicem ecclesie offerret ac prestaret: te vero, quem Dominus non modo adoptione sua dignatus est, sed primario etiam inter filios suos loco statuit, quasi porrecta manus vocat. Quo etiam maiore fiducia, & ardentiore studio in hoc cursu, Rex catholice, tibi pergendum est. Res quidem, ut dixi, cum per se magnarum difficultatum plena, tum vero maioribus implicita molestiis, & discriminibus perplexa, quod innumeras subinde machinas ingerere non desinit sathanas, si qua sacrum Dei templum vel euertere, vel labefactare queat, & constantiam nostram Deus talibus experimentis interdum probari vult. Verum si istud modo constitutum habes, nihil te cum prestatissimis tuis consiliis tam Hispaniarum quam Belgarum vel haec-

nus

nus aggressum esse in restituendo ecclesie
statu, vel nunc persequi, nisi Deo authore,
senties procul dubio, quam mirificus sit eo-
rum omnium effector, quae ministris suis
mandat. Fructum ex hoc successu incompa-
rabilem percipiet vniuersalis ecclesia, &
nos tui subditi tuae, & ditionum tuarum fa-
licitati gratulabimur, quemadmodum do-
lebimus, si secus sanctissimi tui successerint
conatus. Cuperem tamen, Rex pientissime,
quod perpetua recordatione, uti dignissi-
mum est, quoddam incredibilem pietatis exem-
plum a regibus Poloniae tibi et vniuersis
alijs Principibus Christianis admirandum &
imitandum relictum, memoria teneres scili-
cet: Cum Vladislao Poloniae regi, & Vi-
taldo eius fratri regnum illis esset a Bohe-
mis delatum, qui nuper a Deo segregauerat
se, & a Christi corpore ecclesia praeciderat,
admirabili quadam animi magnitudine re-
gnum potius respuendum sibi esse duxerunt,
quam ut indignum aliquid Christianis Prin-
cipibus

cipibus committerent. Quin disertis etiam
verbis legatis Bohemorum renuntiarunt
sibi religionem esse, apud hæreticos regnare.
quòd si verò illi in viam rectæ religionis,
& ad societatem uniuersæ ecclesiæ redire
vellent, Reipub. christiana causa, alterutrū
de ipsis, quin rēgni gubernacula suscipiat,
non esse recusaturum. Nobilissimum pietatis
haud dubiè hi principes hominibus sui
ordinis considerandum monumentum reli-
querunt, cuius si nostræ ætatis principes
vel tantillam habuissent rationem, non tã
facilè hæreticos in suas ditiones confluere,
nec suos veros subditos eorundem pestife-
ris contagijs pollutos, religionem catholicã,
& antiquam negare paterentur. Tu verò,
Rex pientissime, qui semper magno charita-
tis incendio catholicam religionem hætenus
es prosequutus, da operã seriò, ne in tuo im-
perio aduenæ hæretici conualescant, ne etiã
tui subditi fide Christi abnegata, infidelita-
tem profitētes, Belialis in posterū fiant filij,
qui

qui antea semper fuerant religiosi filij Dei,
quod tua excellenti virtute, religione, fide,
studio, & fauore minimè futurū speramus.

Nunc verò causam, quæ mihi suscepti
laboris extitit author, Rex piëtissime, paucis
accipe. Senatus tuus Brugensis qua semper
in religionē catholicam fuit deuotione, pau-
perum, quorum frequēs concursus ad suam
ciuitatem, diuitijs, opibus, & viris bonis
maximè affluentem, confluere solet, rationē
aliquam sibi esse habēdam intellexit. Cuius
sanctissimæ voluntatis non obscuram de-
monstrationem apud viros graues, & eru-
ditos Theologos non semel, qui primum locū
in eius ciuitatis publica administratione te-
nent, fecerūt: mihi sanè perinde ac alijs vi-
ris qui eruditione, iudicio, ac singulari pieta-
te valent, vnicè probabatur illud institutū,
quod & nunc etiam probatur maximè, vt-
potè quod eximiam quandam pietatem, re-
ligionem, & sanctissimam politiam spiret.
Verū cū eius negotij consultatio in opus
B esset

esset producenda, triginta & sex proponebantur articuli, Senatus auctoritate tecti ac muniti, circa illam pauperum œkonomiã obseruãdi, qui prorsus scripturis sacris, vetustis & laudatissimis ecclesiæ institutis, sacrorũ canonũ diuinis regulis, & cõstitutionibus, quæ circa illa pauperum negotia per vniuersas Belgarum ecclesias inpræsentiariũ obseruantur, maximè aduersari hominibus catholicis, eruditione & doctrina claris sunt visi. Hi mox sibi reclamandum duxerunt, Senatumque incommodorum, quæ inde grauissima in sua Repub. suborirentur, quæ etiam ipsis erant extimescenda, per ciuitatis episcopum omnium patrem, pastore, istarumque rerum primarium curatorem admonendum curarunt. Senatus verò qui sæper non nisi cõsideratas solitus est actiones instituire, qui que nihil prorsus, quod in malam partem à quoquam rapi posset, præsertim in re tam graui vellet intentare, substitit, remque ad supremum tuum Bruxel-
lense

lense consilium deferendum censuit. Ex cuius auctoritate & sententia res summa & maxime in Belgis solent discerni atque institui. Ego verò qui per huius civitatis reverendissimum episcopum serenissima Margareta Belgarum gubernatricis auctoritate & mandato iussus fui meae reclamatio- nis in illam cōstitutionem scripto rationem reddere, quod equidem lubens feci, committere non potui, quin Senatum catholicum præter illa quæ scripto mandata ipsi antea exhibuerã, huius libelli doctrina etiã iuvarẽ, ex quo, si velit, facile deprehẽdat, quam œconomiam Christus dum inter mortales ageret, instituerit, atque observauerit, quam etiam Apostolis constabiliendam, vt eam ad posteritatem in iisdem negotijs retinendam transmitterent, à se formatam reliquit. Vnde etiam si velint colligere, nullo negotio possint, quid sibi in hac causa ex sacris scripturis atque consilijs vel diuinis decretis intentare, & qua ratione, sit integrum.

Hos labores, Rex pientissime, tibi consecrandos decreui, qui huius Senatus perinde atque aliorum legitimus es caput, supremus & naturalis dominus, primarius praeses, & ad quem vnum ex naturali & diuino ac Gentium iure, omnium causarum quae illic controuertuntur, ac de quibus deliberatur, vltima spectat definitio. Quam vbi tu pronuntiaueris, haud dubie Senatus, populusque Brugensis, qui summa pietate praecipis tuis obsequentem semper se praestitit, qui que nihil vnquam habuit gratum, quod tibi nouisset displicere, nec honorificum sibi vnquam quid dixit, quod cum tuae maiestatis & amplitudinis rationibus non esset coniunctum, libenter amplectetur: & vt sua in te constet religio, tuusque in se fauor effulgeat, executioni mandabit. Vale Rex pientissime, vnicum & praestantissimum ecclesiae decus. Ex meo museo, & conuentu Augustiniano Brugensi, ipso die diui Lauren-

Laurentij, ~~_____~~
~~_____~~
~~_____~~
~~_____~~, Anno M. D. LXIII.

S. C. R. M.

Omniũ quos habes, REX PIEN-
 TISSIME, infimus atque obse-
 quentissimus seruus

Frater Laurentius à Villauicentio
D. theologus.

B 3

LIBER

~~PER SVOS APOSTOLOS OBSERVAVIT,~~
LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.



SOLLENNE est in sacris libris, quos ab Euangelistis scriptos prisca illa ad nos transmisit ecclesia, Christum redemptorem nostrum tantisper dū in hac vita mortali prouincias illas regni Iudaici euangelizando perlustraret, pauperum (quorū enim ad se frequentissimū traxerat numerum) atque aliorum calamitosorum hominum singularem habuisse sollicitudinem. Quibus non tantū caelestes illas diuinarum doctrinarū impartiebatur diuitias: verū corporalibus suis indigentis singulari prospiciebat affectu, ac beneuolentia. Quod vel inde pro re indubitata affirmare audeamus, quòd Ioannes Euangelista cap. 13. de Apostolis refert, qui cū audissent Christum dicentem Iudae, Quod facis, fac citius: Christusque illa sententia à nefanda illa prodicione, quam ipsi moliebatur, eum vellet auocare, ad melioremque mentem clausis illis verbis ipsum extimularet, inquit Iohannes: Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei: hoc est, nullus Christi discipulorum percipere quiuit, quorsum Christus illa verba dixisset: quidam

Ioan. 13.

dam enim putabant, inquit Ioannes, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis aliquid daret. Ex his verbis rectè inferimus, quod Augustinus, & ante ipsum Chrysostomus etiam nos docuerunt, dum hunc interpretarentur locum, Christum scilicet pauperibus se consequentibus abundè largiri solitum, ex ijs quæ à pijs sanctisque matronis, atque ab alijs religiosi viris, qui eius religionem ad eò profitebantur, vt familijs relictis, ipsum quocunque proficisceretur, vltro comitarentur, sibi in suos suorumque Apostolorum necessarios vsus conferebantur. Non enim diuinassent Apostoli Christum de pauperibus fuisse locutum, nisi ex ordinario more illis fuisset còpertum, Christum perpetuò singularem pauperum gessisse curam. Erat enim copiosus numerus pauperum, qui sequebantur Christum, qui que ipsum confitebantur verum Messiam, quod non vno loco, sed frequentissimis sacri testantur Euangelistæ, cum de diuitibus & opulentis nihil tale scriptum reliquerint. Nam quamuis Ioannes 12. dicit ex principibus multos credidisse in eum, hoc est, in Christum, mox subiicit, se propter Phariseos non fuisse professos publicus, neque Christum fuisse sequutos, ne è Synagoga eijcerentur: dilexerunt enim gloriã hominũ magis, quàm gloriã Dei. Itaque ex vtroque ordine in gente illa Iudaica quàm plurimi in Christum crediderunt, tum principes, tum ciues, vel etiam nobiles: talis fuit Nicodemus, Ioseph ille ab Arimathæa nobilis decurio, Regulus, Archifynagogus, Zachæus, Lazarus, atque ex Gëtibus Centurio ille Caphernaitæ cohortis præfectus, Romanorumque in illa ciuitate vica-

rius, qui gentem amabat Iudaicam, & synagogam diuino cultui celebrando eis construxit, qui illud inauditum humilitatis exemplum ad nos transmisit: alter etiam Cœturio Ierosolymitanus, qui ad Christi mortem cum petras scindi, solemque obscurari videret, inde Iesu inferens diuinitatem, dixit: Verè filius Dei erat iste, & plerique alij quos in sacris libris Euangelicis inuenerit, qui attentius ipsos decurrerit. De pauperum copiosa multitudine refert Ioannes inter alios Euangelistas cap. 6. quòd abeuntem Iesum trans mare Tyberiacum sequebatur multitudo magna: vbi numerantur præter mulieres & pueros quinque milia virorum quinque panibus, atque duobus piscibus diuinitus fuisse à Christo pastam: & Lucas 8. ait, quòd cum turbæ pluriimæ conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem, &c. & Ioannes 11. refert Pontifices, & Pharisæos vocato senatu deliberasse atque dixisse, Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum, sic omnes credent in eum, &c. Marcus etiam confirmat hanc sententiã, quod ex Petri relatu percepisse non est dubitandum, cum ait cap. 6. Christum semel suis discipulis dixisse: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum: erant enim qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant. Passim & per sacras historias Euangelicas testantur omnes Euangelistæ, concursum innumerabilem hominum ad Christi confluisse doctrinam.

In tanto hominum ac fœminarum concursu quia pluriimi erant pauperes, qui tametsi partim Christum quærebant propter doctrinam, partim ob admiranda

Ioan. 6.

Luc. 8.

Ioan. 11.

Marc. 6.

miranda quæ super ægris ædebat signa, nonnulli etiã
 vt suis agritudinibus remedia consequerentur op-
 portuna, plerique tamen nimia exhausti inedia, vt
 famem pellerent, ad ipsum confluebant. Horum vt
 erat Christus misericors atque benignus instar illorũ
 nihilominus miserebatur, ipsisque quæ ad victum
 essent necessaria, singulari studio atque diuina pro-
 piciebatur prouidentia. Hinc in suis diuinis concioni-
 bus tanto feruore diuites & potentes ad opera mi-
 sericordie præstanda subinde exhortabatur, nunc du-
 ris & terribus interminando, aliàs suauibus & be-
 nignis magna promittendo. Luc. 11. legimus Chi-
 stum Pharisæis hypocritis ita consuluisse: Date cle-
 mosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. item
 Luc. 14. diuitibus describit personas quas ex suo con-
 silio ad conuiuia velit vocari, quando ait: Cùm facis
 prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, ne-
 que fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, ne-
 que diuites, ne fortè te & ipsi reuertent, & fiat tibi
 retributio: sed cùm facis conuiuium, voca pauperes,
 debiles, claudos, & cecos, & beatus eris. Aibi etiam
 docuit Christus discipulos suos, ac Pharisæos, se mi-
 sericordiam velle magis quàm sacrificia sine miseri-
 cordia. Ac tandem teste Luca, cap. 6. ne diuites do-

Luc. 11.

Luc. 14.

Luc. 6.

tiam erga pauperes accendere diuites atque extimere prætendebat, ideo institutas à Christo arbitramur, vt ea ratione pauperibus qui ipsum amabant, quique in ciuitatibus regni Iudaici, vel prouinciarum vicinarum Galileæ, aut Samariæ habitabant, quique in posterum erant subsequuturi, per beneficentiam & prædiuites opulentorum largitiones esset prospectum, ne nimia fame aut nuditate afflicti, calamitate miseranda perirent atque oppressi. Porrò autem ne diuites atque opulenti extimescerent id sibi perituum, quod in pauperum elargirentur subsidia & vsus, magnificis promissionibus, amplissimaque tum temporali ac terrena, tum & cælesti atque spiritali mercede pollicita eleemosinæ voluit non modò exornare, verùm & commune præceptum.

- Matth. 19.* Ob id certè *Matth. 19.* legimus Christum Apostolis sciscitantibus quid tandem præmij sibi qui propter ipsum cuncta reliquerant, esset expectandum, respondisse: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet (*Marcus 10.* adiecit, In hac vita) & vitam æternam possidebit. Misericordibus etiam in excelsa & plusquam sublimi illa cõcione in monte habita, erga pauperes, se suam misericordiam præstaturum est pollicitus. Beati (*dixit Matth. 5.*) misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Phariseis hypocritis, & inclementioribus ex spurcitijs criminum fœtentibus, expiandis peccatis certissimam aperuit viam, quando illis dixit, *Luc. 11. 11.* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: hoc est, date pauperibus necessarias eleemosynas, & virtute eleemosynarum vobis parabitur gratiam, qua cuncta vestra peccata expiabuntur, & ani-

mæ sanguine Christi ablutæ, repurgatæ illustrissimæ præfulgebunt. Magnificentissima est profectò illa promissio, quam Lucas refert Christum eleemosynarum largitoribus fecisse, quando dixit: Date, & dabitur vobis. mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt vobis in sinum vestrum: eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Hoc est incomparabili excessu præmiotum, arque retributionis magnitudo pro bonis operibus vobis in altera vita rependenda superabit officiorum vestrorum, quæ in hac mortali vita pauperibus præstitistis, dignitatem, ac meritum. Nec minoris sunt momenti suavissima illa pollicitationes, quas Matth. 18. & cap. 25. testatur Christum Iudæis *Matth. 18. &* fecisse, quibus vt ad hospitalitatis studium eos exci- ^{25.} taret, asseruit se hospitio excipiendum ab eo qui vnū paruulum in suo susciperet nomine. Et constanter affirmavit, cum de extremo tractaret apud Iudæos iudicio, se beneficis atque beneficiarijs in pauperes dicturum: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quæ sententia sicuti bonis est suavissima, ita & malis planè seuera & extimescenda. Nam sicuti illis se facit deinctum, vt pro bonis in pauperes collatis remuneratorem sese habituros sperent, mercedem-que ab ipso velit eos expectare, ita his formidabilem se præbet, dum iniuriam paruulis aut minimis illatarum ultorem sese fore pronunciat. Vnde hac sententia, malos, comminando, ac bonos, cælestia ipsis promittendo, ad beneficentiam in pauperes exercendam conatur inflammare. Agit copiosius Christus apud Matth. capite 5. de cælesti atque spiritali mercede illis promissâ, qui bona opera fecerint, non vt *Matth. 5.*

gloriæ



gloriæ vanæ damnata mancipia, sed vt veri Dei filij, qui patris æterni gloriam suis studijs fatagunt promouere. Et pater tuus, inquit, qui videt in abscondito, reddet tibi. Huc etiam spectat parabola illa villici apud suum herum profusionis insimulati, qui ad rationes subducendas vocatus, ita cum heri debitoribus negotia transegit, vt in posterum si ea provincia destitueretur, illorum quos ipse medijs liberauerat debitis, iuuaretur subsidijs. Ad cuius parabola altiore inuestigationem discutiendam vt Iudæam gentem Christus excitaret, dixit, atque consuluit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: hoc est, beneficentia in pauperes conciliate vobis amicos, qui cum defeceritis, id est, cum vitæ vestræ cursus exactus fuerit, recipiant vos in diuina atque æterna sua tabernacula. Vocantur hîc diuitiæ mammona iniquitatis, non quòd diuitiæ per se sint malæ, nam cum sint creaturæ, & Dei dona, mala esse non possunt: sed quia plerunque ad malum prouocant & inflectunt. Congruunt etiam nostro instituto due illæ parabola, altera de diuite epulone ac de mendico Lazaro, altera verò de homine illo, qui cum iter à Ierusalem in Hiericho institutum perageret, à latronibus interceptus miserabiliterque læsus, & exutus humi prostratus fuit relictus, quem sacerdos atque leuita dum nulla commiseratione tacti, expectatum prætereunt: Samaritanus quidam faucij calamitatem miseratus eum erigit, equo impositum in ciuitatem reducit, atque hospiti qui eius curam sedulò gerat, ipsum solutis priùs sumptibus curandum committit. Sciunt hi qui in sacris libris Euangelicis versandis sunt magis assidui, omnes has parabolas à

Christo

Christo in eum scopum destinatas fuisse, vt populū Iudaicum se audientem ad beneficentiam in pauperes vniuersos exercendam instigaret. Prouocabantur boni amore iustitiæ, mercedisque sperandæ retributione, percellebanturque mali, duri atque præfracti horrendarum pœnarum dira comminatione.

Obtinuit tandem Christus tantum apud omnes illos Iudæos quibus sacras suas conciones ineffabili misericordia est impartitus, vt quàm plurimi duplicis tamen ordinis ad suam diuinitatem ac eius fidem confitendam allicerentur homines. Ex ordine nobilium & primariorum virorum copiosum numerum ad Christū cōfluxisse testatur Ioannes, qui capite 12. dicit multos ex principibus ad diuinas Christi conciones fuisse cōuersos: verùm hi rursus tametsi crederent, duplicis erant conditionis: nam quidam ita in ipsum crediderant, vt verum eius discipulatum publicitus profiteri ausi non fuerint, tum ne aliorum principum qui Christum hostili odio insectabantur indignationem in se conuerterent, tum etiam ne Romanorum sequam & inhumanam ob alium regem ab ipsis inauguratum, aut proclamatum experirentur acerbiter, vel ob id maxime ne dignitatibus exturbati extra synagogam iuxta Phariseorum (quod excommunicationis habebat speciem) eijcerentur decretum. Hoc testatum nobis reliquit Ioannes, qui capite 12. dixit: Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Idem etiam Ioannes cap. 8. refert Christum dixisse ad eos, qui crediderant ei, Iudæos: Si vos manseritis in me, verè

Ioan. 12.

Ioan. 12.

Ioan. 8.

verè discipuli mei eritis . Eiusdem hi erant ordinis atque illi primi , qui quamuis in Christum credebant , erubescabant tamen Euangelium , ignorantes ipsum Dei diuinam esse virtutem ad salutem omnium credenti .

Huius generis discipulos non paucos habebat Christus per vniuersam Iudæã , Galilæam , & alias Iudæi regni prouincias . Horum nonnulli Christum ad suas ciuitates venientem excipiebant hospitio , & quæ vitæ necessaria essent , sibi suisque discipulis subministrabant , idque tam affluenter , vt quod alijs pauperibus qui tenuioris fortunæ Christum consequerentur , distribuere possent , interdum supererit .

Hæc ita se habuisse historia probat Euangelica : nã Ioannes non semel testatur Christum in pago vel villa Bethaniæ ad domum Marthæ , atque Lazari diuertisse : Caphernaõ docet Lucas cap. 19. Christum Zachæo diuile : Zachæe festina , quia hodie in domo tua oportet me manere : Hierosolymis semper illi erat obuia domus illa Simonis leprosi , vel illa in cuius grandi exnaculo diuinum illud celebrauit nouissimum & primum pascha . Matthæus 26. item Ioannes 11. refert Christum in ciuitate Ephrem tantisper moratum , dum passionis vicinus appropinquaret tempus . Nec est dubitandum quin vidua illa Nainita , cui filium profligata morte vitæ donatum restituit , vt erat opulenta , Christum eò venientem gratiosè ad se diuertentem exciperet . Idem etiam non ineptè de Centurione illo Caphernaïta cuius charum ac pretiosum sanauit famulum , non sine causa nobis persuadebimus . Hi quamuis Christum non sequerentur corpore , amabant tamen admirandas eius doctrinas ,

nas, & iuxta earum traditiones cunctæ suæ vitæ insti-
 tuebant vota & studia: vnde eleemosynas suum se-
 quentes consilium pauperibus copiosas faciebant.
 Hinc ille qui Pharisæus in templum oratum ascen-
 derat, dicebat: Decimas do omnium quæ possideo.
 Zachæus item affirmabat, si quenquam fraude circū-
 uenisset, quadruplum reddidisse, cum prius dimi-
 diatam bonorum suorum partem asservisset sese in
 sanctos erogasse vsus. Refert etiã Lucas 8. cap. quòd
 dum Christus per ciuitates, & castella prædicans &
 euangelizans regnum Dei duodecim Apostolis co-
 mitatus discurreret, mulieres aliquæ quæ erant cu-
 ratae à spiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria
 scilicet quæ vocatur Magdalena, de qua septem da-
 monia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris
 Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabāt
 ei de facultatibus suis ipsum consequentur.

Luc. 19.

Luc. 8.

Erant etiam & alij nonnulli viri graues & prima-
 rij, qui nullius potestatis metu, nec fœlicitatis spe ar-
 cebantur à Christi publica amicitia & fide profiten-
 da. Huius classis fuerunt Lazarus ille princeps Hie-
 rosolymitanus, quē sœtentē & quatruiduanū mortuū
 vita in Bethania donauit Christus, fuit etiã & ille no-
 bilis decurio Iosephus ab Arimathæa, qui audacter
 fuit ausus corpus Iesu à Pilato sepeliēdum petere: in
 quorum ordinem meritò cooptandum arbitramur
 centurionem illum Capharnaitam, qui manifesta co-
 gnitione diuinitatis Christi illustratus dixit: Domi-
 ne non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed
 tantūm dic verbo, & sanabitur puer meus: veluti A-
 postolorum ille vertex Petrus scilicet, qui diuinita-
 tis in Christo admiratus maiestatem ad piscium in-

gentem

gentem piscationē, dixit: Domine exi à me, quia homo peccator sum: Archisyragogum, & Regulum illum, cum illius filiam exanimem ad pristinam reduxisset vitam, huius autem iam iam moribundum inferni creptum faucibus saluum & incolumem conseruasset filium, in ipsum Christum ipsos simul cum vniuersa sua familia testantur Euangelistæ credidisse. Idem fecisse plerosque alios viros primarios illius Iudaici regni deprehendet facilè, qui sacras Euangelistarum perlustrauerit historias.

Non est prætereundum, vt quod nostro instituto maximè cõgruat, id quod Ioannes cap. 11. affirmat, scilicet multos ex his Iudæis, qui Martham, & Mariam ipsis condolentes inuiserant, conspecta Lazari tam stupenda resuscitatione, in Christum credidisse. Porrò autè fuisse hos viros graues & principes necesse est fateamur: tales enim erant Lazarus, Martha, & Maria, à talibus igitur erant inuisendi.

Quòd autem ex inferiori plebè quàm plurimi etiam ad Christum euangelizantem, in ipsam vt in verum Dei filium crediuri confluerint, testatum etiã nobis Euangelistæ reliquerunt. Nam cum Christus Hierosolymam ea magnificentia, maiestàtè & gloria, qua nullus vnquam regiæ profapiæ Iudaicæ, aut Romanae gentis imperator esset ingressus, intraret, commotam vniuersam ciuitatem fuisse affirmat

Matth. 21.

&

& cætera diuina oracula iam pridem prædixerant in mundum venturum. Astruit etiam hanc sententiam consultatio illa à Phariseis & pontificibus in causa Christi instituta, in qua deliberaturis ita proponebatur: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credēt in eum. Quod nunquā illic agitandū esset productum in medium, nisi ingentem multitudinem plebis in Christum indies illis fuisset credere cōpertū. Capite 2. eiusdem *Ioan. 2.* Ioannis legimus, quòd cū Christus esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius. Samaritanos etiam non paucos viso Christo, eiusque diuina audita doctrina ex Samaritanæ relatu percepta in ipsum credidisse, literis sacris proditum reliquit Ioannes 4. capite. idemque capite *Ioan. 4. & 7.* 7. docet, cū Pharisei ministros dicentes nunquam sic fuisse loquutum vllum mortaliū perinde atque Christum, ignorantia aut stuporis vel stultitiæ insimularent, dixisse, Nunquid & vos seducti estis? Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? sed turba hæc quæ non nouit Legem maledicti sunt. Et vt plura paucis perstringamus, refert Lucas Pharisæos non ausos fuisse publicitus, nec *Luc. 11.* die sacro Christum capere, eò quòd sibi timerent à plebe in Christum credente, quam sciebant in Christi fauorem vehementer propensam. Et paulò inferius teste eodem Luca Iudas querebat opportunitatem, qua Christum iam venditum Phariseis atque alijs principibus sine turbis, quarum offensionem atque indignationē maximè timebat, traderet. Mattheus autem his subscribit, qui cū ea gesta commemoraret, dicit Phariseos consultantes dixisse Chri-

C

stum

stum nec dolo nec fraude nec alia ratione vinciendū, aut necandum, ne fortè tumultus fieret in populo. Abūdè satis ex his & plerisque alijs sacrorū Euāgelistarum testimonijs conuincimus non fuisse tam infructuosam Christi operam in sacro Euangelio proclamando, quā plurimos omnium ordinum homines ad se conuerterit. Nec id tantū in Iudæis gentibus, verū etiā in Gentilibus. Legimus in Euangelica historia Ioannis cap. 12. *Ioh. 12.* Gentiles quosdam gestientes Christum quasi diuinum admirantes numē videre, Philippi in hoc interpellasse fauorem, qui facilè istuc Christo annuente ipsis concessit. Quòd autem adducamur in hanc sententiam, vt affirmemus hos etiam Gentiles in Christum credidisse, facit illa, quam Christus mox instituit, gratiarum actio, ob suæ glorificationis in hac vita mortali Gentilibus tunc primò specimen editum.

Non fuit omnium horum qui in Christum crediderūt e qua cōditio, nec fuit par omnib⁹ credētibus ipsi⁹ fidei iusta perfectio, sed planè diuersa. Nā quod superius abundè nos ostendisse arbitror, ex credentibus alij erant tenuioris, alij fœlicioris fortunæ. de primis iā diximus: de alijs autē qui in eīa premebantur, hoc ex sacris & Euangelicis historijs colligere possumus, quosdam ita in Christum credidisse, vt ipsum verum prophetam, alij autem virum sanctū, & Dei existimarent verum amicum, plerique tamen alij ipsum Iesum venerabantur & in illum credebāt, tanquam in verum Dei filium, Deum & hominem: verū horum fides non erat ea charitate perfecta, quæ ipsos ad Christum sequendum præteritis patribus, filijs, cōiugibus, honoribus, atque alijs huius mundi

mundi

mundi diuitijs instigaret: demorabantur in suis ciuitatibus, aut villis vel pagis, suisque domibus retinebantur, ita tamen vt venientem ad se Christum susciperent, concionantem audirent, & interdum ad suas priuatas ædes eius maiestatem venerantes pietatis ergo vocarent.

Erant etiam alij qui ita in eum credebant, vt ipsi perpetui & inauulli essent comites, eius fidem publicus profitentes, & ob eius discipulatum cuncta que in mundo habebant, vel habere poterant, abnegantes. Hi Apostolos perpetuo comitabantur, ipsisque erant noti & familiares. quod inde colligimus: Lucas cap. 24. dicit mulieres quæ Angelos viderat post Domini resurrectionem penes monumentum, inde egressas hæc omnia manifestasse vndecim Apostolis, & ceteris omnibus. Testatur etiam Paulus in priori ad Corinth. epistola cap. 15. Christum resuscitatum visum fuisse plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus dixit Paulus multos ad sua usque superuixisse tempora. Apertè etiam affirmat Lucas in actis Apostolicis post Christi ascensionem in caelos cum sacratissima Maria & alijs duodecim Apostolis, & cum plerisque alijs suis fratribus, hoc est, consanguineis, fuisse turbam hominum simul, fere centum & viginti, quos omnes idem capiebat cœnaculum Hierosolymitanum, in quo conuenerant spectaturi virtutem Altissimi, qua iuxta Christi promissionem erant informandi atque roborandi. Ex hac etiam multitudine dicit Lucas Christum septuaginta & duos alios discipulos ab Apostolis diuersos, in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus mittendos selegisse: erat enim, authore Christo, messis multa,

C 2 operarij

Luc. 24.

I. Corint. 15.

Act. 1

Luc. 10.

operarij verò pauci. Hæ scripturæ & aliæ quàm plurimæ quibus vniuersa scriptura est referta, conuincunt multitudinem non exiguam Christi doctrinam ita amplexatam fuisse, vt eius diuinitatem in sua humanitate confessam profiterentur. Cuius etiam bona pars ita hanc profitebantur Christi religionem, vt non solùm eum animo, verùm etiam & corpore è vestigio perpetuò quocunque Christo esset eundùm, comitarentur.

Fuisse tamen plerosque illorum pauperes, neminè arbitror esse vel fore qui velit negare. Quod vel inde certissima coniectura adducimur vt affirmemus, quia ipse pauper, ex pauperrima progenitus & matre egente natus, pauperum ardentissimus extitit amator, fuit & eorum singularis fautor: quorum vilem ac despicabilem iuxta mundi iudicium conditionem singulari benedictione decoratã voluit existere: beatos enim dixit esse pauperes spiritu, ad ipsosque regnum celorum spectare asseruit, cum nusquam legamus diuites aut opulentos vel tantilla spiritali benedictione à Christo commendatos. Adde quòd quamuis diuites essent, qui Christum sequebãtur, diuitias colere, aut quæ diuitiarum erãt curare, cum sibi post Christum esset discurrendum, minimè poterant. His igitur ne inedia premerètur, aut alijs paupertatis iniurijs macerati affligerentur, aut à Christo sequendo retraherentur, per diuitum & opulentorum subsidia curabat Christus suis diuinis concionibus exhortationibusque assiduis vt esset prospectum.

Mittebant ergo diuites & opalèti viri qui in ipsũ crediderãt, quorum fortuna fœlicior erat & vberior,
dona,

dona, subsidia, & varia munera quibus se suosque discipulos, & alias pauperum familias Christus posset honestè sustentare.

Porro autem quam rationem politicam in his muneribus, donis, oblationibus, alijsque eleemosynis suscipiendis, atque egenis & pauperibus dispensandis Christus habuerit, non siluerunt Euangelistæ. Dicunt enim, præsertim Ioannes cap. 13. quòd cùm *Ioan. 13.* Christus in vltima illa cœna qua Eucharisticum instituit sacramentum, Iudæ proditori dixisset, Quod facis, fac citiùs: quòd nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei: quidam enim putabant quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis aliquid daret. Quem locum sic interpretatum nobis Augustinus reliquit in enarratione super Psal. 103. vbi ita *August. super psal. 103.* dixit: Ergo quia dicebamus fratres & de pascendis pauperibus, cùm Dominus loculos haberet, tamen quando dixit Iudæ eum tradituro, Quod facis, fac velociter, non intelligentes ceteri quid dixisset, arbitrati sunt eum dixisse vt aliquid præpararet quod daretur pauperibus: ille enim loculos habebat. Hoc in Euāgelio scriptum est. Possent hoc suspicari, nisi hoc haberet in consuetudine Dominus? De his ergo quæ dabantur & in loculos mittebantur: dabatur tamen & illis pauperibus, quos Deus docuit non contemnendos. Et rursus in Psal. 146. Fiscus, inquit, saccus *Augustinus in psal. 146.* est publicus, ipsum habebat Dominus hîc in terra quando loculos habebat, & ipsi loculi Iudæ erant cõmissi: Iudam traditorem patiebatur Dominus & furem, & in ipso ostendens vbiq; patientiam suam, tamen illi qui conferebant, in loculos Domini conferebant.

rebant. Hinc scitè inferimus Christum villicationē illam spiritualē ita instituisse, vt cūctis Apostolis curā & pauperum siue inopū religiosè habendam cōmendauerit sollicitudinem, idque vt in suis concionibus summa diligētia diuitibus persuaderēt, imposuit, vt perpetua recordatione pauperū miseratores & misericordes existerent. Eorum verò quæ opulentorum misericordia aut beneuolentia ad Christum mitterent, receptorem constituit Iudam Apostolum atque dispensatorem, tametsi reliquis etiam Apostolis istuc munus ex Christi incumberebat institutione, Cui sententiæ astipulabatur D. ille Ioannes Chrysostomus in commentariis illis super Ioannem editis, qui sic ait: Quare veram verbi Iesu causam non deprehēderunt? putabant, inquit, vt egenis aliquid daret, dixisse. Multum Iesu curæ erant pauperes, & hoc ad nostram doctrinam: hic enim loculos habebat & pecuniam, atqui nemo pecuniam Christo dedisse narratur: sed quòd discipulæ victui necessaria præbebant: quomodò enim qui neque peram, neque baculum ferri iubet, loculos ferebat? ad pauperum ministerium, vt intelligas quanta tibi inopum & miserorum hac etiam parte cura impendeat. Rectè quidē ex scripturis superiùs prolatis colligimus, quam praxim Christus in spirituali pauperum villicatione tantisper dum vixit, in hac vita mortali voluerit cum vniuersis illis pauperibus, siue egeni essent aut calamitosi, qui ipsum sequebantur, verè in ipsum credebant, obseruari, & ipse seruauit.

Siquidem primo pauperes ad se vocauit, eisque mysteria redemptionis generis humani (quāuis nec diuites exclusit) euangelizauit. Deinde confluētes
ad

ad se miseros, calamitosos, viles, despicabiles, vlcerosos, mendicos, egenos, ac tandem pauperes omnes singulari benignitate receptos, sanandos, consolandos, iustificandos, ac denique tuendos suscepit. Mox diuites ardentissimis concionibus (propositis etiam magnificentissimis promissionibus tam temporalibus quàm spiritualibus) ad liberalem munificentiam in pauperes exercendam est conatus inflectere. Post ipsorum pauperum curam & sollicitudinem nõ ita est aspernatus, quasi sua maiestate indignam, aut minus decentem, nec alijs fidelibus inferioris ordinis eam administrandam cõmisit, quin ipsemet eam prouinciam veluti quæ post primariam illam, quam à patre æterno de redemptione generis humani obcundam susceperat, inter alias vniuersas principem obtineret locum, sibi exequendam & suis discipulis vindicauit. Quintò oblata munera, dona, & pleraque alia subsidia, quæ diuites in suam suorumque discipulorum, & aliorum pauperum alimoniam mittebant: non eligebat viros prophanos, qui illa susciperent, aut dispensarent, quamuis essent non pauci, qui illum comitarentur tam viri quàm fœminæ, opulenti satis, adeò vt de fœminis dicat Lucas 8. quòd ipsũ

Luc. 8.

postolico senatu vnum elegit, qui quamuis malus, scelestus & atrox fuit, tamē dignitate ceteris septuaginta duobus, & vniuersis alijs Christi discipulis præter vndecim, superior & illustrior. Qui tantisper dum Christi discipulatum profiteretur, non minora sed equè admirāda ediderit miracula, atque alij discipuli. Huic Christus loculos suos seruandos tradidit, ipseque omnia quæ Christo dabantur, accipiebat, nec tamen pro suo arbitratu illa dispensabat, sed consulto Christo, qui verus erat Pontifex & episcopus animarum nostrarum, & pauperum protector atque œconomus: & iuxta Christi dispositionem cuncta illa (quæcunque essent bona) dispensabat, reddita tamen Christo ratione suæ dispensationis, vt pauperibus periclitantibus, aut famentibus, vel nudis, seu quauis alia miseria pressis, diuina Christi prospiceret prouidentia. Hæc fuit diuina Christi dispositio, quam in negotio pauperum ipse singulari studio ac religione in viuis agens per triennium & voluit sex menses obseruare. Nunc erit nobis inuestigandum ex litteris etiam sacris, quàm œconomiam in subsidijs pauperibus aut egenis ferendis sequuti fuerint Apostoli.

DE OECONOMIA AB APOSTO-
LIS SVO TEMPORE IN PAUPERVM
CHRISTI SVBVENTIONE, QUI ERANT
HIEROSOLYMIS, ET ALIIS IYDAICIS
CIVITATIBVS SERVATA:

CAPVT II.



REFERT Lucas qui Apostolorum
gesta incomparabili veritate literis
prodidit, post Christum in caelos cō-
scensum ad vnius Petri cōcionē Hie-
rosolymis de admirāda Christi vir-
tute seu potētia habitā, qua diabolū
moriēs, peccatū, mortē, & infernū vicerat, atq; resur-
gens superauerat abnegata carnalis Iudaismi super-
stitione, circiter tria millia animarū credidisse Iesum *Act. 2.*
Nazarenum fuisse Deum verum, & hominem ve-
rum, Messiam in Lege promissum, redemptorem ge-
neris humani, atque vnicum expiatorem. Qui enim
receperunt, inquit Lucas, sermonem (Petri scilicet)
baptizati sunt, & appositæ sunt illa die animæ cir-
citer tria millia. Et refert idem Lucas, quòd *Act. 4.*
multi qui audierant verbum (scilicet Petri & Ioan-
nis) crediderunt, & factus est numerus virorum
quasi quinque millia. Et cap. 8. affirmat idem Lucas
vniuersam Samariam recepisse verbum Dei, hoc est,
Euangelium, & prædicationem de Christo, quòd is
solus factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redem-
ptio, & quòd non est nobis datum aliud nomen sub
cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in Domini
Iesu Christi: hoc est recipere verbum Dei. Si virorū
numerus erat quinque millium, hunc numerum mu-

lierum superasse concursum neminem arbitror esse
 qui velit negare: si Samaria recepit verbum Dei, mu-
 lieres perinde atque homines necessum est, vt intelli-
 gimus in Christum credidisse. Viri tandem atque
 femina opulenti & diuites qui Christo nomina dare
 constituerant, animo deliberato cuncta quæ habe-
 bant, & si maxima & opulentissima essent bona ter-
 rena, vt expeditius Christum quem iam ardentissi-
 mē amabant, consequerentur, distrahebant, eorum-
 que pretia Apostolis, quibus suas etiam concedide-
 rant animas, pro suo arbitratu ceteris Christianis
 pauperibus dispensanda diuina animi hilaritate offe-
 rebant. Euidētissima huius doctrinæ extant apud
Act. 2. Lucam in actis Apostolicis testimonia, vbi legi-
 mus quòd omnes qui credebant erant pariter, &
 habebant omnia communia. Possessiones & substan-
 tias vendebant, & diuidebant illa omnibus prout
Act. 4. cuique opus erat. Et 4. capite refertur, quòd, quot-
 quot enim possessores agrorum aut domorum erāt,
 vendentes offerebant pretia eorum quæ vendeban-
 tur, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuide-
 batur autem singulis prout cuique opus erat. Et rur-
 sus cap. 5. Ananias, & Saphira eius vxor morte ple-
 ctuntur, quòd Apostolum Petrum tentauerint circū-
 uenire, dicentes totam mercedem diuenditæ hære-
 ditatis, cuius bonam partem in suos reseruauerant v-
 sus, se ad Apostolorum attulisse potestatem. Hinc fa-
 ctum est vt in illa primitiua ecclesia credentium ple-
 rique fuerint pauperes & egentes. Quorum paupe-
 rum Christianorum numerus in dies atque horas
 mirandum in modum vel inde augebatur, quòd præ-
 ter eos qui ex diuersis prouincijs & ciuitatib⁹ regni
 Iudaici

Iudaici ad Apostolos turmatim confluebant (abrenunciantes Legis superstitionibus & figuris) qui tenuissimæ erant fortunæ, si qui erant Hierosolymis, vel alibi diuites & opulenti, qui publicitus Christū esse Iesum confiterentur, hos ceteri Iudæi inimici crucis Christi tam hostili odio & tanta indignatione insectabantur, vt eorum res inuadere, atque diripere ipsis esset summa religio. Erant tandem Christianorum bona præda omnibus obstinatis Iudæis diripiēda exposita, quæ qui prius inuasisset, magno iure sibi esse debita & possidere se posse arbitrabatur: idque honorificum existimabant officium, & Deo acceptissimum obsequium. Hoc planè ita esse conuincit Paulus *Heb. 10.* qui in decimo capite eius epistolæ quam ad Hebræos scripsit, eos laudat à compassione in captiuos, & à tolerantia rapinarum. sic enim ait: Nam & uinctis compassi estis, & rapinam bonorum uestrorum cum omni gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Affirmat *In commentarijs 2. cap. ad Galatas.* Chrysostomus gentem hanc Iudaicam cæteris omnibus atrocio rem fuisse in eos, qui ex suo populo fidem Christi profitebātur. Qui ex Gentibus, inquit, crediderant, non perinde oppugnabantur à Græcis, quemadmodum ij qui ex Iudæis crediderant. Quod vel ex concione Stephani & nece cognoscere poterit, qui paulò attentius utriusque statum obseruaerit: Stephanus enim in illa concione quā ad ipsos Iudæos habuit, hoc uiciū crudelitatis ipsis obiecit, quando dixit: Dura ceruice & incircumcisi cordibus & auribus, vos spiritui sancto semper resististis, sicut patres uestri, & vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri? & occiderunt eos qui præ- *Act. 7.* nunciabant

nunciabant de aduentu iusti, cuius vos nunc prodi-
tores & homicidæ fuistis, &c. Quæ verba cum ferre
non possent, audientes hæc dissecabantur in cordi-
bus suis, & stridebant dentibus in eum: & lapidabāt
Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu
 Act. 8. suscipe spiritum meum. Refert Lucas capite 8. Acto-
rum, illa die factam fuisse persecutionem magnam
in ecclesia, quæ erat Hierosolymis, adeò vt omnes dis-
persi sint per regiones Iudææ, & Samariæ præter A-
postolos, qui semper fuerunt Hierosolymis. Ad hos
 Iacob. 1. consolandos scripsit Iacobus suam epistolam cano-
nicam, cuius initium ita habet: Iacobus Dei & Do-
mini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus
quæ sunt in dispersione, salutem.

Ex his scripturis non tantum deprehendimus quæ
causa discipulos Christi Iesu pauperes & exules fece-
rit, verum etiam quam œconomiam Apostoli, qui v-
niuersalis ecclesiæ erant episcopi, legitimi Christi suc-
cessores in horum pauperum iuuandis miserijs, le-
uandisque calamitatibus & indigentijs instituerint
& sequuti fuerint, quæ talis est: Exhortabantur perin-
de atque Christus opulentos & diuites ad opera mi-
sericordiæ in pauperes exercenda, donaque ipsis of-
ferebantur quæ maxima erant, ipsimet suscipiebant,
ipsi suo tempore dispensanda pauperibus reſeruabant,
ipsi pauperum & suarum necessitatum iudicium fa-
ciebant, & habito delectu singulis quod cuique o-
pus erat conferebant. Non committebant negotium
prophanis viris, quorum, vti superius à nobis est an-
notatum, non erat apud ipsos exiguus numerus, præ-
sertim ante illam Stephani truculentam necem. Af-
 Act. 5. firmat Lucas quod magis augebatur credentium in
 Domino

Domino multitudo virorum ac mulierum. Sed cùm discipulorum numerus maiora incrementa indies susciperet, factumque esset murmur Græcorum aduersus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum: conuocantes duodecim multitudinẽ discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Cõsiderate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Et placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt septem illos, quorum nomina Lucas capite 6. retulit. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Hinc colligimus quid fecerint Apostoli, cùm vidissent sese vtrique muneri, nempe predicationis, & pauperum administrationis commodè satisfacere non posse: conuocant multitudinẽ, non vt ipsa multitudo eligat, sed consideret viros, quos Apostoli illi præficerent muneri, subueniendi scilicet pauperibus. Apostoli septem illos oblatos ex plebe & per plebem in sacrum promouent ordinem per impositionem manuum, qui ipsis rem sacram agentibus assistant, quiq; euangelizent, ac tandem pauperum & viduarum curam administrandam suscipiant. Non igitur viris prophanis munus illud curandi quæ pauperes concernunt, committunt Apostoli, sed viris ecclesiasticis & sui ordinis, quos etiam sacro ordini ascribunt, vt eo munere rite fungi possint.

Nec idcirco existimandum est, Apostolos pauperum curam prorsus in Diaconorum humeros reiecitam ita obliuioni tradidisse, perinde ac si nihil ea de

Act. 6.


Act. 6



re ad ipsos spectaret, quod planè esset falsum, & sacris literis aduersum. Siquidem primaria cura pauperum semper ipsis Apostolis incumberebat, quorum secundaria sollicitudo, qualis erant mensarum ministratio, eleemosynarum distributio, ex instituto Apostolico diaconis erat delegata, qui iuxta ordinationes Apostolorum cuncta illa ministeria obirent, quæ in rem pauperum & usum essent necessaria. Quam sententiam euidentissimè confirmat illorum qui videbantur ecclesiæ columnæ, Iacobus scilicet, Cephas & Ioannes cum Paulo Hierosolymis statuta conuentio. Ad quos cum Paulus mox à sua conuersione ascendisset, collaturus cum ipsis de dignitate suæ doctrinæ Euangelicæ, atque de suæ uocationis ad munus Euangelicum apud Gentes certitudine, ubi hæc omnia Petro, & Iacobo, & Ioanni satis essent perspecta, & cognouissent gratiam quæ data esset Paulo, Dextras, inquit Paulus, mihi & Barnabæ dederunt, ut nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem iremus, tantum ut pauperum essemus memores: quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Hinc deprehendimus Apostolos, tametsi septem elegissent: diaconos qui pauperum negotijs intenderent, non prorsus omni eorum cura sese abdicasse, quin primariam eius prouinciam ad se perpetuò uoluerunt deuolutã. Adeò ut nihil intentarent diaconi inconsulis Apostolis, nec aliud nisi quod ipsis ab Apostolis prescriberetur, executioni mandarent. Hæc ratio in negotio pauperum Iudæorũ Hierosolymis annis 12. (tot enim illic simul subsisterunt Apostoli post Christi ascensionem) semper fuit obseruata. Erant enim Apostoli episcopi, & diaconi sui ministri, qui sicuti in

in

Ad Gal. 2.



alijs sacris ministerijs ipsis Apostolis semper aderāt
& obsequebantur, ita & in hoc pauperum negotio
vt suos se gerebant vicarios.

CAPVT III.

IN QVO OSTENDITVR SI FVE-
RINT PAUPERES ETIAM INTÉR GEN-
TILES CHRISTIANOS, ET QVAM OE-
CONOMIAM PAVLVS, QVI DOCTOR
FVIT GENTIIVM, INSTITVERIT IN
HORVM NECESSITATIBVS SVCCVR-
RENDIS.



NNUMERABILEM etiam mul-
titudinem Gentilium in Christum
eiam credidisse testantur satis aper-
tè Apostolorum præclarissima gesta.
Siquidem Lucas 11. capite Actuum
Apostolorum ita hac de re est locu-
tus, multos scilicet qui dispersi fuerant à tribulatio-
ne quæ facta fuerat sub Stephano, perambulasse vs-
que ad Phœnicem & Cyprum, & Antiochiam, ne-
mini (scilicet Gentilium) loquentes verbū, nisi solis
Iudæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprij & Cy-
renei, qui cū introissent Antiochiam, loquebantur
& ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum. Et e-
rat manus Domini cum eis, multusque numerus
credentium conuersus est ad Dominum. Et paulò
inferiùs ait: Et apposita est multa turba Domino. Bar-
nabas profectus est Tarsum, vt quæreret Saulum,
quem cū inuenisset, perduxit Antiochiam, & an-
num totum conuersati sunt ibi in ecclesia, & docue-
runt

Act. 11.

Rom. 15.

runt turbam multā, ita vt cognominarentur primūm Antiochiæ discipuli Christiani. Paulus etiam in ea quam ad Romanos scripsit epistola, ait se ita prædicasse Euāgelium, vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum, hoc est, non recto cursu, sed quauis versum per circumiacentes regiones, Arabiam scilicet, Damascum, Antiochiam vsque ad Illyricū, quæ extrema est pars Macedoniæ disseminauerit Euāgelij doctrinam. Fuisse autem Apostolum Paulum Ephesi, & in plerisque alijs Asiæ ciuitatibus, Corinthi, Achaia, & alibi per vniuersam Græciam, ibique doctrinam Christi seminasse, eius testantur epistolæ. Quòd autem Europæ bonam peragrauerit partem, eius sacratissima mors testatur: Romæ nanque impietate & nefaria Neronis imperatoris iussione capite truncatus fuit.

Ad suas & aliorum Apostolorum post in vniuersum dispersionē sacras doctrinas incredibilem Gentilium multitudinem in Christum credidisse literis reliquerunt proditū historiographi tam græci quàm latini, Eusèbius scilicet Cæsariensis, Sozomenus, Socrates, Nicephorus, & plerique alij qui de eo argumento non exigua ediderunt volumina. Erant & inter hos pauperes quàm plurimi, tum quia fortuna non contigerat fœlicior, tum quia à tyrannis bona sua proscribebantur, tum etiam quia ab infidelibus crucis Christi inimicis, si quæ erant eis relicta, vt gentiles erant truces & rabidi, aliorum bonis inhiantes, crudeliter diripiebantur. Quorum furori Christiani more bidentium resistere, sibi integrum non arbitrabantur. Testatur Paulus hæc omnia grauissima mala non minus Gentibus quàm Iudæis contigisse, cum

cùm ad Thessalonicenses scriberet, eorum fortitudinem commendans, quibus dixit prioris epistolæ capite 2. Vos enim imitatores facti estis ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, quoniam & vos eadem passi estis à proprijs contribulibus, quemadmodum & illi à Iudæis. Exilia igitur, bonorum proscriptiones, tyrannorum furores fecerunt Christianos tã pauperes & calamitosos, vt interdum exulantes emendicato pane illis esset viuendum.

I. Thess. 2.

Quam verò œconomiam in his pauperibus subueniendis habuerit ipse Paulus, in suis epistolis sacris satis manifestatum nobis reliquit. Primò apud Corinthios instituit, vt hac ratione pauperum fami consuleretur, scilicet vt diuites & opulenti conuenturi in templum cum ipsis pauperibus ad sacram Domini cœnam celebrandam, qui potentiores essent, adferrent eam copiam ciborum, qui non modò sibi ipsis, verùm & reliquis vniuersis pauperibus satis essent ad famem leuandam. Hoc faciebant exemplo Christi, qui cõmunionem sui corporis & sui sanguinis post conuiuium celebratum suis Apostolis administravit. Vnde diuites & opulenti fideles non suæ voluptatis, sed pauperum miserorum ergò, epulas in templum adferebant, quibus pauperibus & ipsi illis ministrabant. Porrò iniuria temporis factũ est vt institutum, quod charitatis fraternæ erat fundamentum, versum sit in libidinis diuitum indignam dissolutionem. Et Tertullianus in Apologico docet Christianos olim simul cœnitare solitos, quod cœnæ genus Agapen tradit fuisse vocatum à dilectione, mutuato vocabulo, quòd ibi diuorum epulis reficiebantur pauperes. Vnde ex hac antiqua consuetudine

I. Corint. II.

Chrysostom. in
homelia Apost.
Oportet hereses esse. tomo 6.

D

tudine

Teste Paulo,

1. Corint. 11

tudine in more esse positum arbitror, vt in ecclesia vniuersali aqua & sal benedicantur singulis diebus Dominicis (tametsi quibusdam & non absurdè placeat, quòd aquæ illius aspersione ecclesia velit in nobis refricare memoriam baptisimi) in festo paschatis placentæ, oua, carnes in ecclesijs benedicebantur. Et in festo cœnæ Dominicæ pauperes in ipsis templis recreabantur. In alijs ecclesijs erat etiam moris, vt Chusiani, quoties sacram Eucharistiam essent sumpturi, aliquem pauperem vel plures, pascendum domum secum diuites deducerent. Ad hoc etiam ministerium olim in templis à diuitibus variarum rerum fiebat oblatio, non tam in priuatos sacerdotum vsus, quàm in communem pauperum alimoniam. In hac ratione qua pauperibus prospiciebatur, nihil præter eleemosynarum largitiones legimus à viris prophanis fuisse præstitum. Ceterùm Paulus Christi Apostolus abusus qui irrepsérant, accusat, conuincit, ac damnat. Mutat consuetudinem illam, quæ tametsi sanctum & pietate refertum habuerat initium, progressu tamen temporis, & hominum vitio, peruersa & vitiata fuerat.

2. Corint. 8. De Macedonibus affirmat Paulus in secunda epistola ad Corinthios cap. 8. quòd quamuis in altissima paupertate fuerant constituti, & nimia egestate extenuati, tamen supra virtutem voluntarij fuerunt: id est, vltra quàm vires & facultates ferebant, promptierant eleemosynis contribuendis, ad cò, inquit Paulus, vt cù multa exhortatione obsecrauerint Paulum quatenus vellet ab ipsis accipere gratiam, id est, eleemosynam, & còmunicationem ministerij quod fit in sanctos, id est, in pauperes. Hic Macedones ro-
gant

gant Paulum vt suas eleemosynas colligat & distribu-
 uat: non ipsi facere præsumunt, neque sui ordinis *2. Corinth. 8.*
 ullos eligunt viros qui eleemosynas suscipiãt, & pau-
 peribus distribuant. Sciebant nimirum illud esse ec-
 clesiasticorum officium, ad quos pauperum cura &
 inspectio pertinet, non ad homines prophanos. Tito
 mandat Paulus vt eleemosynarum negotium curet,
 non viris prophanis etsi maximè sanctis. Idem etiam
 Paulus apud Corinthios Deum opt. max. laudat cui
 pauperum cura ita est cordi, vt ipse admirabili sua
 prouidentia ministros subordinauerit, qui ardentis-
 simo zelo quæ ad pauperes spectarent, procurarent.
 Inter quos Titum vnicum huius ministerij studiosi-
 simum commemorat, quando ait: Gratias autem a-
 go Deo, qui dedit eam sollicitudinem pro vobis sci-
 licet pauperibus in corde Titi, quoniam exhortatio-
 nem quidem suscepit, sed cùm esset sollicitior sua vo-
 luntate profectus est ad vos.

In eodem cap. 8. *2. Corinth. 8.* ait Paulus: Misimus
 etiã cum illo (hoc est, cum Tito) fratrem nostrum, cuius
 laus est in Euãgelio per omnes ecclesias. Duos disci-
 pulos inquit se misisse per omnes ecclesias, scilicet
 Titum & alterum, cuius nomen silentio pressit, qui
 eleemosynarum negotia tractarent, qui que pauperes
 inspicerent, consolarentur, & ipsis laborantibus suc-
 currerent. Non mandat Paulus negotium pauperum
 viris secularibus, quamuis tunc temporis etiam plu-
 rimi & sanctissimi essent Corinthi, Macedonia, &
 Achaia, atque in vniuersis alijs ciuitatibus, quæ Chri-
 sti fidem susceperant: sed suis commilitonibus sacer-
 dotibus, coepiscopis & diaconis id muneris exeque-
 dum mandauit, vtpote quod ex diuina Christi insti-
 tutione

tutione ad episcopos & alios ecclesiasticos ministros, quos ecclesia ad hoc promoueret, sciebat spectare, non ad seculares viros.

Et ne quis æstimet Paulum tantum fuisse huius sententiæ, idem eodem 8. cap. 2. Corinth. affirmat sibi ab ecclesijs ordinatum comitem suæ peregrinationis in eam gratiam quæ ministraretur ab illis ad Domini gloriam & destinatam voluntatem Corinthiorum, eum scilicet quem suum fratrem vocat, quæ etiam dicit se misisse simul cum Tito. Ecclesiæ, hoc est episcopus, presbyteri, sacerdotes igitur, & non seculares homines eligebant in ministros mensarum pauperum & eleemosynarum. Verum ne quis causetur nomine ecclesiæ hinc vniuersam credentium multitudinem fore intelligendam, præter id quod absurdum est affirmare quod in ijs quæ ad ecclesiæ gubernationem essent necessaria, omnium credentium suffragia essent requirenda, est manifesta scriptura, quæ conuincit quando in sacris libris ecclesiæ autoritate dicitur aliquid stabiliri, aut fuisse stabilitum, non multitudinem vniuersam credentium fore intelligendam, sed primaria capita & cardines, quales sunt episcopi, sacerdotes, presbyteri, & alij viri qui ministerijs verbi & sacramentorum sunt præfecti. Huius sententiæ confirmationem ex 11. cap. Actorum Apostolicorum repetemus, vbi cum commemoratum esset, Cypros, Antiochenos & Phœnices verbum crucis suscepisse, dicit Lucas: Peruenit autem sermo ad aures ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis super istis, & miserunt Barnabam vsque Antiochiam, &c. Non est intelligendum quod omnis illa promiscua multitudo credentium, quæ erat Hierosolymis, deliberauerit simul cum A-

postolis

Act. 11.

postolis quid esset opus ea in re facto, nec est sine gra-
uissima temeritate credendum quòd Christiani in-
ferioris ordinis ausi fuerint sese choro Apostolorum
dicturi sententiam ingerere, nec in eorum ingredi cõ-
clauē, nec Apostoli eorum spectata sententia, Barna-
bam statuerunt Antiochiam mittendū, hoc esset ab-
surdum existimare. Ipsi Apostoli erant capita eccle-
siæ, & Apostolorum caput & vertex erat Petrus, ipsi
deliberauerunt, ipsi statuerunt, ac tandem miserunt
Barnabam. Ecclesia igitur quando de iudicio feren-
do, vel de ordinando agitur, non promiscua multitu-
do intelligitur: sed priores illi patres qui dignitate e-
piscopali in ecclesia conspicui eminent. Hæc igitur
ecclesia ordinauit Paulum cum altero fratre suæ pe-
grinationis comite, qui discurrerent per vniuersas
ciuitates collecturi quæ pauperibus essent necessaria,
& qui curarent vt potentum abundantia egentium
repararet misérias. Non ordinauit magistratus procu-
ratores pauperum, nec vllus secularium hominum
senatus priuatus aut politicus ausus fuit vnquam ea
de re consultare, necdum definire aut quidquam sta-
tuere.

Paulò inferius in huius octauæ capituli calce ad-
huc affirmat, Barnabæ & Tito tertium quendam a-
lium collegam se adiecisse, qui tres simul (omnes vi-
ros ecclesiasticos & cooperatores Pauli in verbi mi-
nisterio) negotia pauperum apud Corinthios cura-
rent, & collectas, quas Paulus ipsis reponendas per-
suaserat, in aliorum pauperum subsidium colligerēt.
Non meminit in hac œconomia ad collectionem,
nec ad distributionem collectarum, nec ad aliquam
aliam pauperum aut eleemosynarum functionem vl-

lius sæcularis viri, nec ad inspectionem eorum qui diuitum subsidijs opus haberent.

1. Corint. 16. Præterea idem etiam Paulus adhuc multo euidentiùs in cap. 16. prioris epistolæ ad Corinthios quam œconomiam circa eleemosynarum largitiones voluerit in ecclesijs à fidelibus obseruari, ostendit: De collectis, inquit, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite: Corinthijs loquitur. Quæ autem fuerit hæc ordinatio in ecclesijs Galatiæ à Paulo instituta, quamque velit ab Corinthijs obseruari, mox subiecit, quando dixit: Per vnam sabbathi vnusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cùm venero, tunc collectæ fiant: cùm autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittã perferre gratiã vestrã in Hierusalẽ: quòd si dignum fuerit vt ego eam, mecum ibunt. Est etiã & alius locus qui euidentiùs propositum declarat, & quid nobis in pari sit agendum docet negotio. Cùm fames grauissima sub Claudio in vnuersum sæuret orbem, quam propheta ille Agabus Hierosolymitanus Antiochiæ (quò ipse cùm alijs venerat prophetis) prædixerat futuram, inquit *Act. 11.* quòd discipuli prout quisque habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabę & Sauli. Fratres Christiani hinc eleemosynas faciunt, colliguntque, & mittunt ad seniores. Fuisse autẽ seniores presbyteros affirmant omnes patres ecclesiæ tam Græci quàm Latini. Mittunt etiam eleemosynas Antiochenses, & Macedones, atque Galatæ, & Achaici simul cum Corinthijs per manus Apostolorum, nimirum Barnabæ, & Sauli,

Sauli. Quod constantissimè assertum nobis Paulus reliquit in ea quam ad Romanos scripsit, epistola, ca *Rom. 15.*
 pite 15. Nunc, inquit, proficiscor in Hierusalem ministrare sanctis: probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Nihil hîc efficiunt viri sæculares quamuis catholici, quamuis fratres, quãuis multo fuerint sanctiores quàm ciues earum sint ciuitatum, qui hæc munera ecclesiasticis inuident viris. Christiani solùm reponunt eleemosynas per vnã sabbathi. Titus & Barnabas, & alius frater cuius laus est in Euangelio, per omnes ecclesias commendatus ab ecclesijs. Paulo illas eleemosynas à fidelibus acceptas colligunt. Paulus & Barnabas eas Hierosolymã deferunt, & Hierosolymis seniores, hoc est, ecclesiastici, illas suscipiunt, retinēt, & custodiunt, ac tandem inspectis pauperibus, vniuscuiusque inspecta explorataq; calamitate, singulis prout cuique opus est, eas eleemosynas suis temporibus distribuunt. Hîc nec Apostoli, nec alij presbyteri & ecclesiastici viri vlllo pacto audent pauperum curam à se reijcere, nec sæculares viri vlla ratione præsumunt ipsam sibi vsurpare: quin functionem illam venerantes ecclesiasticis viris vltro ipsi dispensandam committunt. Ordinauerant Apostoli in vnaquaque ecclesia tot diaconos, quot occasio temporis, & populi postulabat necessitas, qui defunctis alijs sacris muneribus, huic pauperum negotio diligenter & fideliter intenderent, qui etiam ex episcopi aut presbyteri imperio, & ordinatione cunctas illas eleemosynas ijs tantum, quibus episcopus ipsis præscriberet, & quantum episcopus iuberet, dispensarent. Hos diaconos siue

Rom. 12. dispensatores eleemosynarum admonet Paulus in 12. cap. epistolæ ad Romanos, cum dicit: Qui tribuit in simplicitate, hoc est, qui arario Christianorum est præfectus & constitutus collectarum pauperum dispensator in simplicitate, hoc est in bona fide, sine peronarum acceptione administret & dispense sibi cõ creditas ecclesiæ vel pauperum facultates.

Erat aliud genus pauperum, nimirum qui vlcerũ dolore afflicti, aut membrorum obrucatione inhabiles, aut alijs grauioribus ægitudinibus inidonei efficiabantur victui & amictui parando, qui que nec discurrere poterant, vt suas miserias reliquis manifestarent Christianis. His etiam Apostoli prospectum esse voluerunt, eorumque causam curandam susceperunt: nam primò Petrus, & alij Apostoli bonam partem ægrorum, ope diuina implorata, pristina restituebant sanitati. Quod Lucas abundè satis declarauit Actorum Apostolicorum cap. 5. vbi ita legitur: Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateis eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. Concorrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes. Claudum etiam ex vtero matris suæ, qui baiulatus quotidie ad portam templi speciosam petitum eleemosynas ponebatur, sanauit Petrus, cum ad horam orationis nonam oratum ascenderet. Argentum & aurum non est mihi, quod autem


autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu eius dextra, alleuauit eum, & protinus consolidatae sunt bases eius & plantae. Exiliens stetit, & ambulauit, & intrauit cum illis in templum, ambulans & exiliens, & laudans Deum. Apostoli ergo & horum etiam pauperum, qui manuum mutilationem, aut obtruncationem pedum, vel ulcerum saniem patiebantur, rationem habuerunt, quos vel curando, vel ipsis opitulando iuuabant. Progressu temporis charitate feruente, consultoribus Apostolis viri aliquot cum suis vxoribus, vel viduae sanctae suas aedes recipiendis peregrinis, ulcerosis, claudis, mutilis, aut alijs aegris consecrabant, nec id tantum, verum si quid ipsis facultatum erat, hoc etiam in horum alimoniam vltro conferebant. Et quod maioris erat perfectionis & pretij, ne, qui ipsis hulcerosis & horridis aegris opem vellet ferre, desiderarentur, ipsae foeminae sanctae huic sanctissimo ministerio sese dedicabant, totque ad hanc sacratam functionem obeundam confluebant, vt in ipsis admittendis Paulus delectum iusserit fieri per viros ecclesiasticos, cum dixit in 1. ad Timot. 5. Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit vnus viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Nullum aliud publicum ministerium obire mulieres poterant in ecclesia, quam si in obsequium pauperum sese darent, & ad ea seruitia praestanda, quae Apostolis & alijs sacri Euangelij praekonibus essent necessaria, sese ornarent. Eligebantur igitur tales viduae, quales de-

1. Timoth. 5.

scribit Apostolus eligendas, tum ut in catalogum ecclesie secundum Chrysostrum, & Ambrosium referrentur, & secundum Augustinum ex publico ecclesie arario alerentur, tum etiam ut iuxta Primasij in hunc locum sententiam, diaconis fierent.

LIBER SECVNDVS,
IN QVO AGITVR DE OECONO-
MIA QVAM PATRES ECCLESIAE APO-
STOLORVM SVCCESORES, ET VICI-
NI, SINGVLARI RELIGIONE IN PAV-
PERVM NEGOTIIS TRACTANDIS IN-
STITVERVNT,

CAPVT PRIMVM.

 POSTOLIS è medio sublatis, cho-
risq; angelicis assumptis, successerunt
viri sanctitate & doctrina insignes,
qui non modò episcopales dignitates
in suo honorifico sustinebant virtutù
diuinarù splédore, verùm etiã qui sin-
gulari studio, & ardētissima charitate cūcta alia quæ
Christianorum animas, & ea etiam quæ corporum
calamitates & miserias concernebant, prout eius tem-
poris ferebat conditio, & hominum tyrānorum qui
tunc temporis imperium vbiuis gentium tenebant,
dabat permissio, procurabant. Iniuria verò temporis,
& præteritorum ecclesiasticorum hominum turpi-
vecordia factum est, ut nulla extent monumenta hi-
storica, quæ illustrissima facta sanctorum ecclesie Oc-
cidentalıs (quæ profectò amplissima fuerunt) & pon-
tificum diuinas in œconomia ecclesiastica sanctiones
stabilitas,

stabilitas, nunc viuentibus nobis & posteris subsequen-
 turis repræsentarent, vnde lucem nostris tenebris il-
 lustrandis, in administranda, & disponēda, si pertur-
 bati cōtingeret, republica sacra nobis haurire posse-
 mus. Fuit ea in parte fœlicior ecclesiæ Orientalis sta-
 tus: siquidem Eusebius Cæsariensis, Rufinus Aquilei-
 censis, Socrates scholasticus, Theodoretus Cyrenen-
 sis, Hermius Sozomenus, Euagrius, Nicephorus, Ca-
 listus, Xantopulius, & plerique alij huius generis
 scriptores literarum monumentis tradiderunt illius
 Orientalis & Grecanicæ ecclesiæ gesta. Verùm hæc
 fœlicitas nō fuit tam absoluta, quin aliquid in ea de-
 sideretur, quod ad eius perfectionē cōplendam mul-
 tū ponderis erat allaturū, id scilicet quod ad mille &
 quingētos annos non fuerit protracta: vix enim qua-
 dringentorum annorum ecclesiasticos successus lite-
 rarijs monumentis viri illi diligentissimi scriptores
 commendarunt. Idcirco ex sanctorum pontificum
 Romanorum decretis erit nobis emendicanda ratio
 œconomica in Occidentali ecclesia circa pauperes,
 & eorum subuentiones perpetuò obseruata.

Quam talē fuisse, qualē hic ego ipsam descripsero,
 ex concilijs, & pontificum responsis, & sanctis epis-
 coporum statutis deprehendimus. Primò constat a-
 pud omnes à Christo nato ad trecentesimū decimū
 sextū vsque annū, ad clauū Romani vel Orientalis &
 Occidentalis imperij semper homines tyrannos, im-
 pios & infideles (demptis duobus Philippis nempe
 patre & filio) sedisse. Quo tempore cuncti magistra-
 tus omnium tam Orientalium, quàm Occidentaliū
 ciuitatum infidelitatē, & sordidā idololatriam falsa
 religione venerantes profitebātur. Nec licebat Chri-
 stianis

scianis qui tūc temporis oppressi, & grauissimis per-
 secutionibus afflicti incerta sede vagabantur, publica
 erigere templa, nec xenedochia vlla, quibus paupe-
 res Christi fouendi, curandi, recreandique reciperen-
 tur. Verūm matronæ erant quàm plurimæ, & viri nō
 pauci Christiani pietate, & charitatis feruore admira-
 biles, qui ea, qua in sanctos Christi (sic enim Paulus
 non semel vocat pauperes) flagrabāt charitate, & de-
 uotione aliunde venientes hospitio exceptos, exem-
 plo Abrahamæ singulari benignitate consolabantur, in-
 credibiliq̄ue humanitate eorum miseras, calamita-
 tes, exiliaq̄ue vehementer condolentes leuabant,
 adeò vt fœminæ nobiles proprijs manibus eorum
 pedes puluerulentos ac lutulentos summa indulgen-
 tia abluerent, & qui erant ægri & halcerosi, ab ipsis
 diligentissimè curabantur. Quæ officia ab his matrō-
 nis fuisse præstita testatur Paulus in prima illa quā ad
 1. *Timoth.* 5. Timotheum suum discipulum scripsit, epistola, in
 qua non aliam viduam in catalogum ecclesiæ co-
 optandam, eligi permittit, nisi eam quæ sanctorum,
 id est, pauperum Christi pedes lauisset, quæ etiam bo-
 norum operū exercitijs sese sedula occupasset. Hinc
 est quòd in assumentis vel rapsodijs historiarum le-
 gimus, quòd cum odio plus quàm hostili tyranni Im-
 peratores Romæ, & alibi sanctos fideles adeò perse-
 querentur (vt erant homines truces & impij) vt in-
 dies quàm plurimos sanctos martyres varijs & inau-
 ditis agonibus neci darent, quos capitibus truncatos
 in patentibus campis volucris discerpandos, aut
 bestijs feritate crudelissima dilaniandos expositos fre-
 quenter derelinquebant. Sanctæ matronæ noctu in-
 de clam ablatos domum quasi thesauros pretiosissi-

mos referebant, ac loco honorificentiori quàm poterant reconditos singulari religione venerabantur. Pontifices Romani qui perpetuo ordine ab Apostoli Petri inde ætate consecuti fuerant, cùm publicas leges, & alia pia statuta pro sanctorum pauperum causa condere minimè possent (non ferente tyrannorum imperio) priuatim cunctos Christianos viros & feminas ita instituebant & exhortabantur, vt singularè curam & diligentiam ab ipsis exigerent in subueniendis pauperibus, inque præstandis eleemosynis pro eorum subsidio & sustentatione. Ad quas eleemosynas largiendas adeò diuinis illis episcoporum concionibus & exhortationibus accendebantur fideles, vt mirandum in modum redderentur propensi ad cõtribuendum vltro, & summa cum animi iucunditate, quæ pauperum vsibus necessaria viderentur. Ac denique quicquid erat sibi in id negotij conferendum, hoc totum pontifici eius loci, si forsan esset, vel presbyteris aut diaconis dispensandum cõmittebant. Quod fecisse mihi videntur illi, qui cùm opulenti essent, & reliquis ditiores, non tamen poterant commodè hospitalitatis officia in suis ædibus exercere. Proinde episcopo cui ex officio id curare incumberebat, qui omnium exploratas miseras habebat, ad quæ etiam tanquam ad supremum in terris animarum patrem omnes consolandi, reficiendique confluebant, sua fidebant subsidia, ita dispensanda perinde atque sibi congruentiùs videretur. Episcopi autè cùm omnia non possent, per diaconos & alios ecclesiæ ministros, illas fidelium facultates fidelissimè disponebãt. Nimirum intellexerant episcopi Apostolos diaconis, qui prius soliti fuerãt verbum populis Christianis

Ordo diaconatus à Christo.

nis annunciare, eã prouinciã curandarũ rerum pauperum fuissẽ demãdatam. Hinc est quòd ordinem diaconatus à Christo institutum suspiciebant episcopi, & ad curas seu functiones episcopales administrãdas ipsos accersebant, & singulari ordine cõsecratos promouebant. Imitabantur ea in re D. Petrum, cuius erant vicarij.

Qui Romanum agens pontificatum, cùm solus quotidianis fidelium necessitatibus non sufficeret, duos cohorepiscopos creauit, quibus sacerdotalia ministeria populo Romano, & aduenis pauperibus, calamitosis, ac tandem cunctis qui nomina Christo daturi venerant, exhibentibus, ipse Petrus orationi & prædicationi, populum erudiens, vacaret.

Act. 6.

Deinde Petri successores & vicarij, alijque aliarũ ecclesiarum episcopi, cùm gliscentem numerum credentium, pauperum etiam indies maiores fieri accessiones viderent, vti ex officio tenebantur, cogitarunt qua ratione eorum necessitatibus posset succurri, & Apostolorum facto instructi, diaconos elegerũt, qui illis sacrificantibus præstò essent, ordine sacro initiatis eam prouinciam demandarunt. Quibus etiam vt cuncta decentius & diligẽtius perficerentur ex ipsorum ordine vnum qui pietate, prudentia, & honestate cæteris esset eminentior & spectabilior, præponebant, qui ratione officij, ac dignitatis Archidiaconus dicebatur. Huius quæ fuerint olim officia, literis proditum nobis reliquit Isidorus ille Hispalensis Archiepiscopus. Qui in epistola quam ad Ludifredũ scripsit, ita habet: Archidiaconus enim imperat subdiaconis, & leuitis, ad quem ista pertinent ministeria, ordinatio vestiendi altaris à leuitis, cura incensi,

&

Archidiaconus.

Isidorus in epist. ad Ludifredum.

Archidiaconi officium.

& sacrificij necessaria sollicitudo, quis leuitarum ad populum euangelium legat, quis preces dicat, seu responsoria in Dominicis diebus, aut solennitatibus decantet. Sollicitudo quoque parœciarum & ordinatio, & iurgia ad eiusdem pertinent curam, pro reparandis diocœsanis basilicis ipse suggerit sacerdoti, ipse inquit parœcias cum iussione episcopi, & ornamenta, & res basilicarum, & parœciarum gesta, & libertatum ecclesiasticarum episcopo idem refert, collectã pecuniam de cõmunionem ipse accipit, & episcopo defert, & clericis proprias partes ipse distribuit.

Idem affirmat Iuo Carnotensis. Et fragmentum huius epistolæ citatur Decretorum prima parte. Nimirum didicerat ex vetustis nostræ religionis catholicæ monumentis sanctus ille pater Isidorus, hanc diuinam fuisse institutum rationem in pauperum negotio tractãdo. Quod adhuc clariùs illius magni Laurentij Archidiaconi, diui Sixti Romani pontificis & martyris historia probat. Tradunt enim historiographi, præsertim Orosius, & Eusebius, primum omnium Imperatorum qui religionem Christi professi fuerint, quiq̃ue fidei iugo collum subiecerint, Philippum inter imperatores vndetrigesimum fuisse, qui per diuum Fabianum Romanum pontificem & ecclesiæ vniuersalis catholicæ caput, in diuinis rebus imbutus, deuotione accensus munificentissimum in ecclesiam, & in pauperes sese præstitit. Dedit tandem hic imperator dona amplissima pontifici sui temporis (siue Fabianus fuerit, vel Sixtus) tum pro ecclesijs exornandis, tum etiam pro pauperum calamitatibus, nempe inedia, fame, nuditate, atque alijs miseris leuandis. Decius verò, cuius nefaria proditione

pau

*Iuo Carnot.
De offic. ordin
lib. 3.*

*1. parte decret.
dist. 25.*

*Oro. li. 1. c. 15.
Euseb. lib. 6.
capite 26.*

pius hic imperator Romæ simul cum filio imperij
 consorte etiam Philippo nuncupato Veronæ eodem
 die trucidatus fuerat, adepto imperio, thesaurorum
 Philippi, vt erat auarus, auuiditate feruens Sixtum pō
 tificem sanctissimum, octauum à Petro Romanum
 & vniuersalis ecclesiæ caput, crudeliter captū in vin-
 cula sanctissimum & annosum virum conijci iubet:
 nulla ipsi relaxationis futuræ facta spe, nisi redditis
 prius thesauris quos à Philippo accepisset. Cùm ani-
 mus sanctissimi senis hoc ipsum sibi prælagisset, D.
 Laurentio thesauros illos pauperibus dispergendos
 concedidit. Qui tanta fide, diligentia, & deuotione
 sanctissimi patris Sixti votis & expectationi respon-
 dit, vt mox thesauros in viduas, pupillos, & miseros
 erogauerit pauperes. Cuius facti fama cùm ad Decij
 aures esset perlata, etiā hunc Laurentiū robustū cor-
 pore, sed animo prorsus infracto, & admirabili con-
 stantia munito (sene truncato capite) recludi impe-
 rat. Cui etiam perpetuos carceres, & atrocem inter-
 minatur mortem, nisi thesaurorum depositum pro-
 dat ac tradat. Licuit autem Laurentio per tyrannum
 ea de re aliquā tisper deliberare, cuius deliberationis
 ea tandem fuit vltima sententia, vt conuocata paupe-
 rum copiosa multitudine, oculisque tyranni contem-
 planda, subiecta voce diuina dixit: En tibi thesauros
 quos requiris. Et item cùm carbones candentes rin-
 gerēt, cùm flammæ præcordia exederent, cùm deni-
 que sanguinem prorsus ignis exugeret, incompara-
 bili animi iucunditate exultans, voce alta & constan-
 tissima exprobrans tyranno suam inexplebilem sitim
 & crudelitatem, dixit: Assatum est, iam versa & man-
 duca, nam facultates ecclesiæ quas requiris, in cæle-
 ste s

stes thesauros manus pauperum deportauerunt.

Ex hac historia facilè colligimus patres, qui Apostolis Spiritu sancto ordinante successerunt, viros quosdam sacratio diaconatus initiatos, pauperum negotijs præposuisse. Colligimus item Christianos populos, quando apud se aliquid (siue id paruum esset, vel magnum) constituissent pauperibus elargiri, ad episcopos & alios viros ecclesiasticos sese contulisse, in quorum manibus id reponebant, vel ex quorum decreto etiam dispensabant. Hæc politica seu œconomica ratio in ecclesia fuit seruata per trecentos & sexdecim illos annos, quibus imperij habenæ ab infidelibus Imperatoribus regebantur. Et quod legimus de vno Sixto, & Laurentio, quatenus ad ministerium spectat, id de alijs pontificibus, & diaconis vel archidiaconis venit intelligendum. Nam quamuis pro certo non constet, quo tempore, nec à quo pontifice dignitas Archidiaconatus fuerit instituta, hoc tamen validè nobis esse debet persuasum, hanc dignitatem ab illis pontificibus stabilitam fuisse, qui Apostolis vicini admodum extiterunt. Quod vt ita credamus & affirmemus, facit Hieronymi grauissima sententia, qui sua ætate affirmat celebrem fuisse eius dignitatis prærogatiuam, quæ non tantùm inanem & honorificum titulum sonabat, sed muneris impositi erat manifestum iudicium, scilicet quòd Archidiaconus post episcopum ecclesiarum doctrinæ, disciplinæque, & primaria pauperum, xenodochiorumque, & miserorum incumberet sollicitudo. Vnde in Decretalibus Gregorij dicitur: Archidiaconus post episcopum sciat se vicarium eius esse in omnibus. Et in epistola Clementis papæ, Oculus episcopi

*Epist. ad Nes
pot.*

*Decret. Greg.
lib. 1. tit. 23.*

cap. 1.

Clem. in epist.

13. cap. 7.

L

archi-

archidiaconus vocatur : & in eadem plurima de suis officijs continentur.

*Dion. in epist.
ad Soterem.*

*Nicepho lib 4.
cap. 8. historie
ecclesiastice.*

His placet adijcere fragmentum quoddam epistolæ Dyonisij Corinthij, cuius hæc sunt verba: iam inde ab initio hæc vobis est consuetudo, vt fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & ecclesijs multis quæ passim sunt in vrbibus, subsidium mittatis, per quod iam dudum & egenorum penuriã recreatis, & fratres in metallis opus facientes alleuatis, mox remque Romanum à maioribus acceptum Romani retinetis. Quem non modò conseruauit, sed adauxit etiam beatus episcopus vester Soter, cui liberaliter munera sanctis submittendo, tum fratres ad nos redeuntes; vt filios suos pater amantissimus, sermonibus beatis cohortando. Hæc habentur apud Nicephorum Calistum. Fuit hic pontifex Soter decimus tertius à Petro, anno 163. à Christo nato in pontificiam dignitatem euectus. Et cum ad ipsum scribat Dionysius episcopus Corinth. dicit Romanis illã solitos seruare ab initio cõsuetudinem, vt ecclesijs, hoc est, pauperibus aliarum ciuitatum subsidia mitteret. Quam consuetudinem dicit ab initio, hoc est, à primis Romanæ ecclesiæ principijs fuisse in vsu positã, & ad tempora vsque Soteris cõseruatam, per ipsumque sanctissimum pontificem Soterem auctam. Ex hac epistola & ex superioribus historijs poterit huius rei studiosus facile intelligere, à prima origine ipsius ecclesiæ solitos episcopos recipere ac dispensare, per se vel per suos diaconos fidelium eleemosynas, non tantum suis concinibus, verum etiam extraneis in alijs ciuitatibus agentibus.

CAPVT II.

In quo refertur quam œconomiam ecclesia circa paupes obseruauerit, ab eo tempore, quo baptizato Cōstantino episcopis licuit ea de re certas condere leges.



EDIT Cōstantinus nomen Christo anno à Christo nato trecentesimo decimo quarto, vel si mauis, anno trecentesimo decimo sexto. Nec præsentis instituti ratio postulat hîc tractari, num catechumenus ad finē vsque fuerit vitæ, nec ne. Alij, qui eius rei tractationem susceperint, hoc discutiant & iudicent. Quod ad nos attinet, tractabimus. Cōstantinus tandem inanum simulachrorum execrabilem superstitionem detestatus, ad vnius & veri Dei cultum animum admirabili religione composuit. Vnde edictis promulgatis per vniuersas tam Occidentales quàm Orientales orbis prouincias phana simulacrorū turpissima delubra funditus euertit, aut diuino cultui consecrata in sanctorum Christianorum conuertit deuotissima templa. Affirmat Eusebius, quòd incredibile sit memoratu, quanta fuerit ecclesiæ gloria, & quanto religiosi Imperatoris studio adoleuerit, quanta eius cura, & erga sumptum indigētium fuerit pōtificibus Christi, non excidit memoria sanctorū Christi, id est, pauperum cura & sollicitudo. Quin primarius suarum concionum post fidem in Christum annunciatam & requisitam, scopus is erat, vt cunctos fideles ad pauperum Christi amorem incenderent atque inflammarent. Quorum sacratis exhortationibus fideles prouocati, incredibile dictu, quàm libe-

Lib. 9. cap. 10.

rales & munificos in pauperes hulcerosos, egenos-
 que sese præstiterint. Erant enim (præter amplissimas
 illas quas gloriosus ille Imperator & memorabiles
 obtulit) fidelium oblationes tam grandes & luculen-
 tæ, vt non modò materiam copiosam construendis
 & exornandis templis suppeditauerint, verùm red-
 ditibus comparandis, sustentandisque Dei ministris,
 & conficiendis argenteis & aureis vasis in sacris mi-
 nisterijs adhibendis abundè sufficerent. Huius rei e-
 uidentissimum argumentum est sacrilega illa sacro-
 rum vasorum direptio, quam Iuliani execrando man-
 dato apud Antiochiam eius quidam Orientalis præ-
 fectus templum ingrediens, cuius sublata prius fue-
 rant ianuæ, simul cum Felice regalium thesaurorum
 præfecto, atque Elpidio rerum priuatarum Imperato-
 ris comite intentasse Tripartita historia commemo-
 rat: referturque illic, Felicem, cum videret vasorum
 ornamenta, quæ Constantinus & Constantius fre-
 quenter obtulerant, dixisse: Ecce in quibus vasis Ma-
 riæ filio ministratur. Sed huius blasphemix & teme-
 ritatis debitas dedit pœnas: miseranda enim morte
 interiit. Credentium munificentix & liberalitati, e-
 piscoporum solertissima vigilantia respondit, quorum
 paternus affectus in hoc prorsus maximè omnes ex-
 crebat semper vires, vt diuitum oblationes, quæ opu-
 lentissimæ erant, iustè & piè dispensarentur. Interim
 tamen dum hæc fiebat diuisio, quidquid oblationum,
 eleemosynarum, donorum, reddituum, possessionum-
 que ecclesiæ à fidelibus conferebatur, id totum in e-
 piscopi potestatem redigebatur, cuius autoritate &
 dispositione, cōsultis presbyteris & diaconis in vsus
 pauperum, & aliorum ecclesiæ ministrorum dispen-
 sabatur.

Lib. 6. cap. 32.

labatur. Nec id propria tantum intentabant auctori- Can. 41.
tate episcopi, sed Apostolorum edocti mandato, quos
ita legimus ea de re definiuisse: Præcipimus ut in sua
potestate res ecclesiæ habeat episcopus: si enim ani-
mæ hominum preciosiores illi creditæ sunt, multo
magis decet eum curam de pecunijs agere, ita ut eius
potestate omnia pauperibus dispensentur per presby- Habetur in 2.
parte decr. cau.
12. q. 1.
teros & diaconos, & cum timore & omni sollicitudine
ministrètur. Quod certum est ab Apostolis fuisse in-
stitutum, Christi exemplum sequutis, qui cum sum-
mus Pontifex esset & animarum nostrarum episco-
pus, talis œconomix formam ipsis imitandam à se
ordinatam in hoc pauperum negotio tractando re-
liquit. Erat enim in Christi potestate, quamvis in
custodia Iudæ Apostolo commissa quæ ipsi fide-
les mittebant oblata.

Secunda lex.

Verum tamen episcopi in sua hæc oblata habe-
rent potestate, non tamen ita ut pro sua libidine fide-
lium dona profundere, aut si vellent dilapidare, vel
in suos suorumque usus conuertere ea ipsis liceret:
sed ut ex consilio presbyterorum, diaconorum & a-
liorum ecclesiæ ministrorum in eos expenderet v-
sus, quos ecclesiæ membris, pauperibus scilicet mi-
nistris & ministerijs necessarios esse videret. Hoc
probat canon ille in Antiocheno concilio stabilitus,
vbi ita fuit definitum: Episcopus ecclesiasticarum re-
rum habeat potestatem ad dispensandum erga om-
nes qui indigent cum summa reuerentia & timore
Dei: participet autem & ipse quibus indiget, si tamē
indiget, tam in suis quam in fratrum qui ab eo reci-
piuntur, necessarijs vibus profuturis, ita ut nulla

E ;

quali-

I. *Timoth. 6.*Capite 35. &
25.

qualibet occasione fraudentur, iuxta sanctum Apō-
tolum sic dicentem: Habentes victum & amictum,
his contenti sumus. Quòd si contentus his minimè
fuerit, conuertat autem res ecclesiæ in suos domesti-
cos vsus, & commoda vel agrorum fructus, non cum
presbyterorum diaconorumque conscientia pertra-
ctet, sed horum potestatem domesticis, aut propin-
quis, aut fratribus, filijsque suis committat, vt per
huiusmodi personas occultè res lædantur ecclesiæ,
Synodo prouinciæ pœnas iste persoluat.

Tertia regula.

Symmachus papa ad Cœlarium fratrem ita scripsit:
Possessiones quas vnusquisque ecclesiæ proprio de-
dit, aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis
aut distractionibus, vel sub quocunque argumento
non patimur, nisi fortè aut clericis bonorum meri-
torum, aut monasterijs religionis intuitu, aut certè
peregrinis, si necessitas largiri suaserit, sic tamen vt
non perpetuò, sed temporaliter perfruatur. His tri-
bus regulis circumsepta fuit episcoporum potestas
circa fidelium oblationes. Vt si canones Apostolici
ipsis concedendas ecclesiæ fidelium oblationes, in
suamque potestatem redigendas stabiliant, aliorum
pontificum & conciliorum sacris statutis intelligant
sua potestati tres terminos esse appositos, scilicet ne
pro sua libidine ea bona dispensent, sed cōsilio pres-
byterorum & diaconorum, deinde ne filijs, aut fra-
tribus, vel domesticis, aut amicis dispensanda com-
mittant, tertia, ne ea ecclesiastica bona à sacris, qui-
bus fidelium deuotione dicata fuerant, liceat v-
sibus alienare.

CAPVT III.

*Quo proponuntur aliquot statuta à Patribus stabilita
in beneficium & pauperum subuentionem obseruanda.*



PRINCIPIO vt vitia quæ dispensationi rerum ecclesiasticarum irreperere poterant, tollerentur, canones à patribus sanctis conditi sunt, iuxta quorum normam ecclesiæ redditus, & pleraquæ alia bona dispensarentur. Patres igitur in quatuor partes cuncta bona ecclesiastica siue redditus diuiserunt: vnã assignarunt clericis, alteram pauperibus, tertiam sacris ædibus, & alijs ædificijs, factis tectis tuendis, quartã verò episcopo propter hospitalitatem, quam ex officio, teste & ordinante Paulo, peregrinis aduenis & pauperibus præstare tenetur. Officia enim hospitalitatis Paulus à viris illius ordinis exigit. Euincimus hoc esse verum auctoritate illius canonis conditi à sanctissimo illo pontifice Simplicio, qui anno à Christo nato 467. ecclesiæ præfuit, qui sic in epistola quam ad Florentium & Equitum episcopos scripsit, statuit: De redditibus ecclesiæ vel oblatione fidelium sola episcopis ex his vna portio remittatur, duæ ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum profutura à presbytero sub periculo sui ordinis ministrantur, vltima clericis, pro singulorum meritis distribuatur. Post hunc sanctus etiam Gelatius ecclesiæ vniuersalis caput, qui ante millesimum & septuagesimum annum floruit, in cuius epistola quam ad episcopos per Lucaniam & Brutiim agentes scripsit, ita comperimus definitum: Quatuor autem tam de re-

*2. parte decret.
causa 12. q. 2.*

Capite 29.

ditu, quàm de oblatione fidelium, prout cuiuslibet ecclesiæ facultas admittit (sicut dudum rationabiliter est decretum) conuenit fieri portiones, quarum vna sit pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta est fabricis applicanda. Sanctus ille Gregorius magnus ecclesiæ doctor, qui ante noningentos annos ecclesiæ vniuersalis pontificatum gessit, in responsione ad primam interrogationem Augustini Anglorum episcopi, docet quare episcopo tãta pars oblationum, reddituum & ecclesiasticorum donorum à patribus ecclesiæ olim attributa fuerit. Vbi sic dicit: Mos est Apostolicæ sedis ordinato episcopo præcepta tradere, vt de omni stipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones, vna videlicet episcopo & familiæ eius, propter hospitalitatem atque susceptionem, alia clero, tertia verò pauperibus, quarta ecclesijs reparandis. Gelasius I. etiam papa sanctus in hac causa talem canonem condidit: Præsulorum nostrorum authoritas emanauit, vt facultates ecclesiæ episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen vt viduarum, & pupillorum, atque pauperum, nec non clericorum stipendia distribuere debeant.

Primus autem omnium pontificum qui hanc bonorum ecclesiasticorum quadrifariam instituit faciendam diuisionem, Silvester fuit, vir sanctitate & magnitudine pietatis celebratissimus, cuius ætate dignitas pōtificia per cōuersionem & baptismum Cæsaris Constantini Augusti, qui etiam primus omnium Imperatorum Romanorum fuit, qui palam religionem Christi ausus fuit profiteri, in amplissimam emerfit maiestatem & splendorem. Huius pontificis temporibus oblationes fidelium tam fuerunt abundantes

*2. parte decret.
caus. 12. q. 2.*

*In 2. epist. ad
Siculos.*

dantes & copiosæ, vt vir sanctissimus sedulò cogitaret, quid de illis oblationibus perinde ac de alijs ecclesiæ redditibus & possessionibus donatis illi esset faciendum, vt in eos conuerterentur vsus, qui ecclesiæ Dei vsui & ornamento essent futuri: id enim offerentium postulabat intentio ac votum, ac suæ dignitatis officium & ministerium. Congregata igitur Romæ amplissima synodo ducentorum septuaginta & quinque episcoporum, mox à dimissione illius sanctissimi Niceni senatus, gubernante adhuc imperium eodem Cæsare Constantino Augusto, inter pleraque alia, quæ sancta & matura patrum deliberatione circa ecclesiasticos ordines custodienda illic fuerunt stabilita, ea de re quam tractamus, talis etiam illic fuit promulgata ab Spiritu sancto definitio cap. 4. in quo sic loquitur Silvester sanctissimus: Commoneo autem vos omnes mihi consortes, monumentum hoc, vt de redditibus ecclesiæ quatuor partes fiant, quarum vna cedat pontifici, ad sui sustentationem, alia presbyteris & diaconis & omni clero, tertia templorum & ecclesiarum reparationi, quarta pauperibus & infirmis & peregrinis.

Istum pōtificem primum docuit Spiritus sanctus quo pacto bona ecclesiarum non nisi ecclesiasticis vsibus, & ecclesiasticis viris & maximè pauperibus Christi essent eroganda. Hinc est quòd passim tum in synodorum decretis, tum apud vetustos scriptores reperimus, Quicquid possidet ecclesia vel in fundis, vel pecunia, in hos quatuor vsus fore dispensandū. Æquum enim est & diuina lege sancitum, vt qui suā ecclesiæ operā impendunt, publicis & ecclesiæ sumptibus alantur. Ratio etiam postulat, vt loca sancta

Ib. de mendac. cap. 15.

Dei. 2 parte, canon. 12. q. 1.

in qua fideles res diuinas acturi & audituri conueniunt, sarta, & ornata retineantur. Iustissimum est autem ut eorum sanctorum, hoc est, pauperum (qui tēpla sunt uiua spiritus sancti) sua habeatur ratio. Episcopis autem hoc ex diuino iure debetur, ut cūm ipsis singularis ouium suarum cura incumbat, ipsisque animarum cibum subministrare teneantur sub pœna aternæ damnationis, oues vicissim illi lanam & lac referant, quibus sibi suisque victum & amictum pro dignitate personæ quam sustinent, habeant. Hinc patres concordī decreto partitionem illam instituerunt faciendam, nec sine Christi exemplo, quod Augustino placet, qui ita definitum nobis reliquit: Habebat Dominus loculos, à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus & alijs indigentibus tribuebat. Tunc primū ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, & ut intelligeremus quòd præcepit non esse cogitandum de castino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ seruetur à sanctis, sed ne Deo propter ista seruetur, & propter inopiæ timorem iusticia deseratur: hæc Augustinus. Ex Christi igitur diuina institutione, & eius exemplo patres ecclesiæ hanc quadrariam bonorum ecclesiasticorum fecerunt diuisionem. Quorum duæ fere partes indigentijs pauperum, peregrinorum, pupillorum, ac viduarum leuandis, iustissimè fuerunt assignatæ.

CAPVT

CAPVT IIII.

In quo ostēditur quam œconomiam patres instituerint, in ea parte reddituum distribuenda, quæ ad pauperes spectabat.



UPERIVS libro primo latè satis tractavi quam rationem Apostoli, postque patres illi qui ipsos sunt consecuti in subueniendis pauperibus ad tempora vsque Constantini magni obseruauerint. Quæ si hîc iterum mihi essent refricanda, præter id quod superfluum esset, fastidium pareret lectoribus illa parum necessaria repetitio. Fuerunt igitur post Constantini tempora in ecclesia pauperes duplicis generis, perinde atque olim fuerant. Primi erant illi qui propter Christi confessionem exules & extorres extera cogebantur sola vertere, fuga salutem animabus & corporibus parantes, si martyrio tolerando non tam excelsa animo inesset fortitudo, & constantia. Alij erant hulcerosi & miseri, varijs & grauioribus ægritudinibus afflicti, quorum tam erat exhausta & tenuis fortuna, vt non modò grauiissimis suis ægritudinibus medendis vlla prorsus esset reliqua possibilitas, verùm nec fami, aut siti, quam patiebantur maximam, satisfaciendæ angustissima eorum suppetebat facultas. Nunc de ea agam œconomix ratione, quam patres in subueniendis primis pauperibus instituerunt. Patribus illis (ecclesix vniuersalis radiantissima lumina) ea fuit primaria sollicitudo, vt ea pars reddituum, quæ ex diuisione facta ad pauperes pertinebat, prout occasio temporis, & pauperum requirebat necessitas, dispensaretur. Quod vt fidelius fieret,

fieret, episcopo, quem à Christo pauperum patrem & patronum constitutum sciebant, eam etiam partem bonorum ecclesiasticorum pauperibus debitam dispensandam committunt. Et iure quidem optimo: cui enim tutius hæc bona pauperum impartienda committere possent, quàm illi qui de ea quæ sibi erat attributa reddituum portione, hospitalitatem in peregrinos & calamitosos vel miseros ciues sibi subditos exercere tenebatur? Nemini tutius nec securius filiorum bona committere quis poterit, quàm patri. Itaque episcopi ex illa bonorum ecclesiasticorum quadrifaria diuisione, duas habent partes. eam scilicet quæ ad sui suorumque domesticorum, ac miserorum hominum sustentationem est necessaria, ob idque sibi est attributa, & alteram quæ ad pauperum suæ ecclesiæ subuentionem spectat, quamque pauperibus patres spiritu sancto inspirati, attribuendam ac dispensandam decreuerunt. Episcopi autem qui religiose hæc bona sibi distribuenda arbitrabantur, ut fideles essent dispensatores ministeriorum Dei, ne coram Christi tribunali furti sacrilegi rei deprehenderentur, rursus hanc partem bonorum pauperum bifariam decreuerunt diuidendam. Vna portio primis pauperibus, viduis scilicet, pupillis, orphanis, peregrinisque, & exilibus propter Christum, tractandis designabatur. Altera verò his quorum calamitatem & miseriam hulcerum, dolorum, ægritudinumque aliarum accessiones magis fecerant miserandam destinata dispensabatur. Ut autem id commodiùs fieret, iuxta templa, & in episcopi vicinia xenodochia & hospitalia quàm plurima consilio & auctoritate episcoporum erigebantur, in quæ pauperes hi recepti recrearen-

recrearentur, & si fieri posset in pristinam restituerentur valetudinem. Hoc tantum permissum fuit Christianis ab eo tempore, quo Constantinus magnus ille Imperator Christi religionem palam cœpit profiteri.

Antea enim sicuti nec templa publicitus permittebatur Christianis, ita nec xenodochia, nec alia hospitalitatis diuersoria. Temporibus autem sacri Imperatoris Constantini hæc & illa amplissima & ditissima passim in cunctis ciuitatibus, tum ab Imperatore, tum à viris principibus & honestis opulentisque ciuibus constructa, ornata, & magno pauperum numero referta vilebantur. In cuius rei confirmationem opportunissimè epistolam illam Iuliani Imperatoris apostatæ ad Arfasium Galatiæ pontificè scriptam adferre possumus. Hic Imperator (vt erat impius) cum fidei abrenunciasset, dabat operam, & omnes quos poterat intendebat neruos, quatenus in suis ditionibus, quæ latissimè patebant, paganismum dilataret. Quod cum videret non succedere secundum sui animi sententiam, refert historia tripartita inter alia quæ Arfasio Galatiæ pontifici iubet illic in sui voti promotionem diligenter fieri, hoc fuit maximum: scilicet, Xenodochia constitui per singulas ciuitates, vt nostra peregrini clementia perfruantur, non tantum nostri, sed etiam extranei pecunijs indigentes. Et vt habeas vnde fiat, interim decreui singulis annis triginta millia modiorum tritici per vniuersam dari Galatiam, & sexaginta millia modiorum sextariorum vini. Horum quinta pars pauperibus templa obseruantibus debet expendi, reliqua peregrinis egentibus distribui: turpe nanque est, vt Iudæos

Lib. 6. cap. 29.

daos

daos quidem non abijciant, sed potius nutriant im-
 pij Galilaei & suos pariter, nec non etiam & nostros:
 nostri verò nostrorum solatio deficiantur. Quapro-
 pter doce etiam collationes facere, paganos ad talia
 ministeria, paganorumque vicos offerre dijs primi-
 tias frugum, eosque huiusmodi benefactis institue,
 docens eos hoc opus olim fuisse nostrorum: & alia
 quae sequuntur dignissima, profecto quae à viris eru-
 ditis pro dignitate obseruentur. Ex his tamen quae in
 medium adduximus, licet aliquot documenta anno-
 tare. Primò Imperatorem apostatam Iulianum (qui
 tertius fuit à Constantino, & à Cōstantio secundus)
 à sanctissimo illo Imperatore christianissimo Con-
 stantino, & à Christi sacerdotibus in nostrae religio-
 nis dogmatibus fuisse imbutum, ab ipsisque didicif-
 se necessariam semper fuisse ad salutem in proximum
 non tantum beneuolentiam, sed si facultas suppetat,
 munificentiam quoque. Deinde didicerat in ecclesia
 xenodochia fore erigenda, in quae pauperes, pere-
 grini, & exules fouendi ac nutriendi recipiantur. Post
 paganos & reliquos vniuersos mortales debere con-
 tribuere vltro in horum hominum subsidia, sibi que
 in horum commodum & beneficium frugum pri-
 mitias fore offerendas. Mox tantam olim Christiano-
 rum (quos hic apostata contemptum Galilaeos vo-
 cat) vt non modò Christianos, verum etiam Iudaeos,
 & Gentiles pauperes & peregrinos alendos, curan-
 dosque receperint. Scilicet haec omnia non authori-
 tate praefectorum prouinciarum, sed sacerdotum
 fore curanda, nec aliorum hominum iudicio, & dis-
 positione fore dispensanda, quam ecclesiasticorum,
 ob idque Arfasium praeteritis prouinciarum praesi-
 dibus,

dibus, pontificem Galatiæ scribit, minime autem ad alios alterius ordinis homines. Hæc omnia historia ecclesiastica tripartita refert facta fuisse, anno 363.

Probatuꝛ adhuc hanc œconomiam subueniendis pauperibus vlcerosiſ in xenodochijs in ecclesia in multos annos obſeruata ſingulari religione à Patrib⁹ eccleſiæ fuiſſe. Poſt Cōſtantinum ſplendidiffimū imperij decus Iuliano apoſtatae in imperium ſucceſſit Iuuianus: poſt quē Valentinianus conſequutus Gratiano reliquit imperium. Hiſ tãdem ſufficitur Theodoſius inſignis pietatiſ, & admirandæ proſuſ religioniſ Imperator: hic adedò religionem catholicam amauit, vt quicquid ipſe præſtare poſſet in eiꝛ amplitudinem & maietatem exaltandam, id minime prætermiſerit, tam charoſ tamque pretioſoſ habuit Chriſtianoſ paupereſ, vt Alexãdriam ingreſſuſ, idola altaribuſ deturbara conflare iuſſerit, quorum materiam ad faciendaa ollaa, & ad Alexandrinæ eccleſiæ diuerſoſ uſuſ, & egentiuꝛ pauperuꝛ expenſaa, Chriſtianoſ donauerit, teſte hiſtoria tripartita. Mirificè fulcit noſtrum inſtitutum, quin damnat noſtram inertiam, & viuoſ inſigit animiſ noſtriſ aculeoſ ad pietatiſ ſtudia & officia in miſeroſ ſectanda, id quod hiſtoria tripartita de Placilla mundi Imperatrice, & religioſiſſimi primi illiuſ Theodoſij Imperatoriſ digniſſima cūiuge, de qua ſic legimuſ. Habebat igitur Imperator (ſcilicet Theodoſiuſ) & aliam utilitatiſ occaſionem, per quam de boniſ operibuſ triumpharet. Coniunx enim eiꝛ de diuiniſ legibuſ eum ſæpiùſ admonebat, ſciſpſam tamen perfectè priùſ erudiens: non enim regni ſaſtigijſ eleuata eſt, ſed potiùſ diuino amore ſuccenſa. Beneficij nanque magnitu-

Lib. 9. cap. 27.

Lib. 9. cap. 31.

magnitudo maiorem ei amorem benefactoris excitabat. Repentè ergo vt venit ad purpuram, claudorù atque debiliùm maximam habebat curam, non seruis, non alijs ministris vtens, sed per seipsam agens, & ad eorum habitacula veniens, & vnicuique quod opus haberet, præbens. Sic etiam per ecclesiarù xenodochia discurrès, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, ius gustàs, offerens cochlearia, panem frangens, cibosque ministrans, calices abluès, & alia cuncta faciens, quæ seruis & ancillis mos est solenniter operari. Illis autem qui tales res ei nitebãtur prohibere, dicebat: Aurum distribuere, opus imperij est, ego autem pro ipso imperio hoc opus offero. Erant igitur tunc temporis xenodochia, ad quæ pauperes angustia alicuius ægritudinis languidi, & fracti, vt sibi mederetur, diuertebant. Habet & huius Imperatricis incomparabilis pietas acres & mordaces stimulos, quibus noster percellitur torpor, stupor, & pauperum Christi perniciosissimus neglectus. Habet item pulcherrima omnium virtutum ornamenta huius præclarissimæ fœminæ factum. Ad cuius imitationem iustissimam (præter firmitudinem, quam nostro adfert instituto) nos vrit, afficit, rapit & accendit, & eius quæ tunc temporis in tractandis pauperibus erat praxis, nos reddit certiores.

CAPVT V.

In quo ostenditur diaconissarum, quæ olim in ecclesia huic ministerio seruebant, origo.

VT benignius pauperes vlcerosi in xenodochijs tractarentur, patres (quod ab Apostolis didicerant) ex illis fœminis quæ in catalogum ecclesiæ ob singulares suas virtutes relatae fuerant, quasdam præ cæteris charitate & deuotione flagrantes elegerunt, xenodochijs & pauperum ægrotantium ministerijs præficiendas, quibus id incumberet muneris, vt hi qui afflicta & misera essent valetudine Christiana sollicitudine ab ipsis curarentur. Et quia cura & pauperum ministerium ex Apostolorum institutione ad diaconos fuerat deuolutum, hinc factum est, vt & fœminæ quæ sanctis illis ministerijs pauperibus impendendis sese consecrassent, propter nominis etymologiam, & ministerij rationem diaconissæ vocatæ à patribus fuerint. Quæ adhibita etiam certa benedictione, solennitate quadam publica celebrata, ad illa ministeria obeunda initiatæ promouebantur. Huius rei euidentissimum habemus argumentum in consilij vniuersalis Calcedonensis canone decimo quinto actione decima quinta. In quo patres statuerunt diaconissam non ordinandâ ante annum quadragesimum, & hoc cum summo libramine. Quem canonem in concilio Vormaciensi circiter ætatem Ludouici Pij filij Caroli Magni his verbis inuenim⁹ repetitum: Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, & hoc cum summo librami-

ne: si verò suscipiens manus impositionē, & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptijs gratiæ Dei contumeliam faciens, anathemathizetur huiusmodi cum eo qui eidem copulatur. Extat & in Aurelianēsi cōcilio secundo, Romanam sedem gubernante Vigilio, canon eiusdem sententiæ, qui inter alios decimum sextum habet locum, scilicet: Fœminæ quæ benedictionem Diaconatus hæctenus contra interdicta canonum acceperint, si ad coniugium probantur interdum deuolui, à communionē pellantur. Irreperant abusus quidā fœminis huius ordinis, quorum causa publicis statutis, sacris canonibus benedictionem siue consecrationem patres ecclesiæ ipsis interdixerant. Forsan erant aliquot inter ipsas, quæ vbi luxuriatæ essent in Christo siue in Christum: hoc est, cū lasciurēt bene pastæ (vt equi pingues) in Christum, id est, contra Christum, quem sponsum sibi elegerant, hominibus nubere volunt. Huius abusus occasione cū ordo ille diaconissarū non esset ex septem sacramentorū ordinibus, sicuti pietatis causa à patribus fuerat institutus, ita eiusdem pietatis ergò ab iisdem ecclesiæ patribus fuit abolitus & antiquatus. Vnde in concilio Epaunensi tempore Gelasij primi, qui ante millesimum annum ecclesiæ gubernaculum direxit, canone vigesimo primo ita legimus harum viduarum causam definitam: Viduarum consecrationem quas diaconissas vocant, ab omni religione nostra penitus abrogamus, solūm eis pœnitentiæ benedictionē, si conuerti ambiunt, imponendo. Harum viduarum vel diaconissarum officium eò spectabat, vt tales quę spreto mundo, Deo singulari deuotione sese dedicassent,

castent, circa pauperum ministeria in posterum alienæ ab omni mundana contagione immaculatæ sese occuparent, vel eleemosynas largiendo, vel hospitalitatis officia viris sanctis & alijs pauperibus Christi exhibendo, aut tandē in xenodochijs cōmiserationis studia, ægris festiuo & hilari corde ac vultu præstando. Quod probat esse verum id quod Nicephorus Calistus de Olympiade sanctissima vidua & diaconissa scriptum reliquit. Quæ cum viginti & sex menses in matrimonio vixisset, vbi iam morte maritus ei esset ademptus, quanquam ea erat ætate vt secundas non dehonestaret nuptias, maluit tamen pudicitiam complecti, atque quod reliquum fuit vitæ, continentia & reliquis sanctis pietatis officijs, præsertim erga pauperes casta trāsēgit. Hanc refert Nicephorus diaconissam, & sanctissimi Ioannis Chryostomi discipulatum fuisse professam. Huius vetusti & laudatissimi instituti vestigia extant apud Belgas visenda quàm plurima, præsertim in Flandria, Brabantia, Hannonia, Artesia, Zelãdia, & Hollãdia, in quibus ditioribus (quæ populosæ sunt admodum) passim visuntur xenodochia pauperibus curandis ornata, in quibus fœminæ religionem virginitatis profitentes quæ singulari pietate ægris decumbentibus omnem operam, fauorem, & benignitatem animo exultabundo propter Christum impendunt, receptæ, fundatorum beneficentia sustentantur. Inter has & illas diaconissas hoc tantum est discriminis, quod illæ viduæ assumebantur interdum, interdum etiam virgines, nulla tamen perpetuæ virginitatis facta solenni sponse: hæ verò quæ hodie in his xenodochijs ægris inseruiunt, virginitatis perpetuæ religionem solen-

*Lib. 13.
Eccles. histor.
cap. 24.*

niter profitentur. Talia xenodochia supersunt adhuc Brugis in domo sancti Ioannis : Gandavi in monasterio Bilochiensi Bruxellis etiã in monasterio D. Ioannis, & pleraque alia, quæ in singulis fere ciuitatibus inferioris Germaniæ, scilicet Hypis, Tornaci, Valencinis, Montibus, Cameraci, Antuerpiæ, Louanij, & Mechliniæ videntur, vel etiam in exiguis villis & pagis, in quæ pro conditione loci, & facultatum permissione ægri curandi recipiuntur. In quibus omnibus si primaria suorum fundatorum moniméta reuoluta examinarêtur, deprehenderêtur qui hoc inquirerent, præcipuã curam omnium quæ illic dispensantur, authoritati & arbitrio Episcopi & aliorum ecclesiasticorum fuisse commissam, non viris prophanis. Nec possunt xenodochiorum fundatores, & si maximè velint, episcopi loci (qui pauperum pater est, aut esse debet) authoritatem, administrationemque circa pauperes vlla ratione exemptam velle. Nã quemadmodum fundatores ecclesiarũ, etsi suis sumptibus basilicas construxerint, atque magnificis prouentibus ipsas dotauerint, minimè tamen eis licet episcopalem authoritatem in earum gubernatione refugere, aut episcopo eas regendas & gubernãdas recusare, ita nec xenodochia. Eodem enim iure quo ecclesiarum est pastor, rector & gubernator episcopus, etiam est xenodochiorum patronus, visitator, dispensator, & omnium suarum rerum supremam dispositionem episcopi humeris Christus imposuit. Absit functionem illam xenodochialem prophanam existinemus, virisque ecclesiasticis indignam. Et ne suffragijs grauissimis nostram hanc quis existimet sententiam destitutam, in eius veritatis confirmationem

opere

opere precium me facturum arbitror, si pontificum & conciliorum aliquot attulerim decreta. In concilio Antiocheno de ecclesijs & suis dotibus hæc fuit pronunciata definitio: Quæcunque res ecclesiasticae sunt, conuenit cum omni diligentia, & bona fide quæ Deo debetur, qui omnia præuidet, & cuncta iudicat, gubernari & dispensari cum iudicio & potestate episcopi, cui totius plebis animæ videntur esse commissæ. Et in concilio Toletano 4. ita legimus ea de re fuisse consultatum: Nouerint conditores basilicarum in rebus quas eisdem ecclesijs conferunt, nullam se potestatem habere: sed iuxta canonum instituta, sicut ecclesiam, ita & dotem eius ad ordinationem episcopi pertinere. Eandem sententiam confirmarunt patres in concilio Aurelianensi, & in concilio Toletano 3. & magnus ille Leo in concilio Cabilonensi 2. Cuius rei qui exactiorem notitiam postulauerit, consulat Decretorum 2. p. illicque abundè sese de ijs rebus poterit informare.

Cap. 24.

Cap. 32.

Cap. 17.

Cap. 19.

Caus. 11.

quest. 1.

CAPVT VI.

In quo tractatur qua occasione laici viri aliquid iuris in administratione rerũ pauperũ sibi poterũt vendicare.



UPERIUS dixi olim in more fuisse positum, vt xenodochia iuxta templa, vel episcopales ædes recipiendis & curandis pauperibus, quorũ subuentioni quarta pars reddituum ecclesiarum & oblationum fidelium destinata erat, erigerentur. In quibus xenodochijs ex autoritate & dispositione episcopi per eorum ministeria, quibus ipse eam prouinciam commenda-

set, ea portio reddituum, siue oblationum pauperibus fideliter dispensaretur. In his xenodochijs nihil prorsus iuris, nihil authoritatis sæculares viri, nisi episcopali authoritate læsa, sibi vsurpare poterant. Verùm cum pauperũ numerus indies excreſceret tunc tẽporis, eorumq; calamitates maiores fierẽt, tum propter exilia, tũ propter proſcriptiones, aut propter fortunæ variũ & multiplicẽ succellũ, episcopi & alij verbi Dei proclamatores Christi populũ cõſtãtiffima & cõcordi affiduitate ad pietatis officia in pauperes præſtanda commonefaciebant. Quorum diuina eloquia tantum obtinuerunt, vt plerique charitate accenſi vel proprias ædes honestis prouentibus dotatas, illis ſanctis & pijs officijs conſecrarent, atque ita fundatas poſteris Christi pauperibus incolendas relinquerẽt. Alij quorum fortunæ erant potentiores, xenodochia magna conſtruebant, quæ liberalitate copioſa ditata etiam pauperum Christi beneficio cõſecrata deſtinabant. Erant item alij (quorum etiam noſtro ſæculo aliquot tales reperiuntur) qui conſultis ſuis expiatoribus, ſi grauata alieni vsurpatione ſentirent conſcientiam, neſcientes cui debiti ſatiſſactio eſſet reddenda, pauperibus domum aliquam ex conſilio episcopi, aut alicuius pij & docti viri in ea ciuitate, cuius ciuibus ſe obſtrictos intelligebant, conſtrui curabant. Ea enim ratione ſe propriam cõſcientiam ante diuinũ Christi tribunal ſordibus ex iniuſto quaſtu contractis ablutum iri ſperabant. In his xenodochijs ijs de cauſis erectis, fundatores ſæcularibus viris aliquam poteſtatẽ facere poſſunt eò adeundi, vel vt inferuiant, aut viſitent, atque aduertant num rectè an ſecus teſtatoris inſtituta perficiantur. Verùm episcopi

copi auctoritatem excludere, ne primariam xenodochij curam & sollicitudinem pauperum subeat, minimè possunt, nec vlllo pacto eis licet; cùm ex diuino iure & canonico eius rei primaria potestas illi incumbat: episcopi enim præceptis parère tenentur seculares fundatores, sacerdotes, ministri, ac denique ad vnum omnes, qui in xenodochiorum ministerijs occupantur. Hanc sententiã cõfirmatam inuenimus in magno illo Chalcedonensi cõcilio, quod ita habet: Clerici qui præficiuntur *πρωχοδοχίς*, quæ ordinantur in monasterijs & basilicis martyrum, sub episcoporum qui in vnaquaque ciuitate sunt secundùm sanctorum patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab episcopo suo dissiliant. Qui verò audet eiusmodi vertere formã quocũq; modo, nec proprio subijciuntur episcopo, siquidem clerici sunt, canonum correctionibus subiacebunt: si verò laici, vel monachi fuerint, communionem priuentur. Et in concilio Toletano 4. Nouerint conditores basilicarum in rebus quas eisdem ecclesijs conferunt, nullam se potestatem habere: sed iuxta canonum instituta sicuti ecclesiam, ita & dotem eius ad ordinationem episcopi pertinere. Xenodochiorum eadem est ratio: siquidem illic sunt ecclesiæ, illic est sacramentum, illic etiam administrantur sacramenta fidelibus. Locus etiam episcopali benedictione est factus. Episcopus igitur cum supremus sit sacramentorum dispensator, cùmque ex Pauli præcepto hospitalitatis officia fidelibus debeat, cùm tandem loca sancta ad ipsum spectant, iniurius est illius diuinæ auctoritati, quicumque hanc sacram pauperum sollicitudinem ipsi præripere contendunt. Roboratur

*Action. 15.
can. 8.*

Cap. 3.

adhuc fortiùs huius nostri instituti veritas auctori-
tate grauissima illius magni Ioannis Chrysofomi
Constantinopolitani episcopi, qui Olympiadi sanctę
diaconissę se consultorem ingessit, cüm ipsa fœmina
sancta, sancto viro inconsulto, pauperibus opes suas
profusis erogasset donis atque eleemosynis, ei que
modum in dispensandis bonis & veris pauperibus,
suis opibus sanctus episcopus imponere vellet, ita il-
li fatui: Illud autem te maximè spectare decet Olym-
pias, quandoquidem tua sponte Deo ipsi bonis tuis
cessisti, & dominio, possessionique pecuniarum re-
nunciasti, vt eas de cætero veluti diuini iuris factas
rectiùs maiori cum æquitate dispenses, obnoxiam-
que te rationi reddendę, si quid de eis præter ratio-
nem factum fuerit, esse scias. Est locus apud Nice-
phorum Calistum. Sunt etiam summę auctoritatis
exempla quàm plurima sacris concilijs inspersa, qui-
bus hoc quod docemus validè statuitur. In decretis
Vigilij papę in libro pontificali ita legimus: Beliza-
rius patritius veniens Romam, de spolijs Vandalo-
rum obtulit beato Petro Apostolo per manus Vigi-
lij papę crucem auream cum gemmis pēsantem li-
bras centum, in qua scripsit victorias suas, & alia do-
na largitus est. Fecit etiam Belizarius patritius xeno-
dochium in via lata & in via Flaminea iuxta ciuitatē.
Et in concilio Aurelianensi quinto circa tempora Pe-
lagij primi celebrato ita legimus à Pelagio pontifice
statutum. De xenodochio verò quod pijsimus rex
Childebertus & cōiugalis sua Ultrotto regina in Lu-
gdunensi vrbe inspirante Domino condiderunt, cui-
us institutionis ordinem vel exscriptionem petenti-
bus ipsis manuum nostrarum subscriptione firma-
uimus,

*Pecunia cleemo-
sine destinata,
facta est inuis-
dium.*

*Lib. 13.
Hist. ecclesi.
cap. 24.*

*Cap. 15.
Floruit hic pon-
tifex anno
555. fuitque à
Petro 61. 10.
2. conc. fol. 4.*

uimus, visum est nobis pro Dei contemplatione iun-
ctis nobis in vnum permanens auctoritate discer-
nere, vt quidquid præfato xenodochio aut per su-
pradiCTORUM Regū oblationē aut per quorūcunq̄ue
fidelium eleemosynam collatum aut conferendum
est, in quibuscunq̄ue rebus atque corporibus, nihil
exinde ad se quolibet tempore antistes ecclesiæ Lu-
gdunensis reuocet, aut ad ius ecclesiæ transferat, vt
succedentes sibi per temporum ordinem sacerdotes
non solūm de facultate xenodochij ipsius, aut de con-
suetudine vel institutione nihil minuant, sed dent o-
peram qualiter res, & ipsius stabilitas in nullam par-
tem detrimentum aut diminutionem aliquam pa-
tiantur, prouidentes ad intuitum retributionis æter-
næ, vt præpositi semper strenui ac Deū timentes
discedentibus substituantur, & cura ægrotantium ac
numerus vel exceptio peregrinorum secundūm in-
dictam institutionem inuiolabili semper stabilitate
permaneant. Quod si quis quolibet tempore contra
constitutionem nostram venire tētauerit, aut aliquid
de consuetudine vel facultate xenodochij ipsius ab-
stulerit, vt xenodochium (quod auertat Deus) esse
desinat, vt necator pauperum irreuocabili anathema-
te feriat: & adhuc ita legimus: Quisquis etiam aut
maiorum, aut mediocrium personarum, quodcun-
que muneris vel facultatis sacerdotibus aut ecclesijs,
aut quibus locis sanctorum studio mercedis cum iu-
stitia pro Dei cōtēplatione cōtulerit, & hæc ipsa quæ
à parētibus donata noscūtur, postmodū quis auferre
præsumpserit, superiori sententia vt necator paupe-
rum communionem priuetur. His duobus exemplis,
quibus alia sexcenta adijcere possem, probamus pri-

Cap. 16.

mò, semper fideles id honoris atque obedientiæ suis pontificibus deferre solitos, vt nec basilicam, nec ecclesiam, nec xenodochia, aut aliquod erigerent sacellum inconsulto episcopo, quin talia meditantes ex episcopi vel aliorum sacerdotum consilio omnia faciebant. Nimirum quia de rebus diuinis bene informati, deque pontificia dignitate optimè sentientes iudicabant vni pij sibi ex iure esse ita faciendum. Secundò etiam inferimus, nunquam fundatoribus xenodochiorum, quæ olim construebantur, id in mentem venisse, vt de excludenda pontificia authoritate in xenodochiorum administratione & gubernatione cogitarent, nec illi litem ea de re vnquam intente: quin quo maior eorum erat religio, eo reuerentiùs episcopum venerantes rogabant, quatenus earum rerum, vtpote quæ ad ipsum spectarēt, curam & sollicitudinem administrationis suscipere vellet, & quatenus ipse, qui omnium animarum apud Deum constitutus esset pontifex & intercessor, illud pietatis opus suis sacratis manibus fundatorum nomine Deo opt. max. dignaretur offerre. Ita Belizarius Romanus patritius, homo bellicus, oblaturus D. Petro dona, manus Vigilij, quas puriores & Deo acceptiores arbitrabatur, requirit: ita reges sanctissimi Galliarum xenodochium erecturi, consilium pontificis Pelagij requirunt, & populi Lugdunensis episcopum ædificati xenodochij supremum moderatorē & prouisorem cognoscunt, & suscipiunt. Ei etiam debita pauperum inspectio, rerum administratio, bonorum dispensatio, ac omnium rerum dispositio vltro relinquitur. Nec reges de hac episcopali authoritate ac potestate minuēda, aut limitibus certis præcludēda, nedum

dum contemnenda aut refugienda (quamuis reges) quicquam cogitarunt. Tunc enim ista Deo acceptissima fore sperabant sacrificia, si per illius offerrentur & gubernarentur manus, qui sacrificium incruentum Deo solet & potest offerre. Non igitur licet fundatoribus xenodochiorum planè pontificiam auctoritatem reijcere in xenodochiorum suorum administratione, ac earum rerum inspectione, cum pauperum delectus, & eorum prouisio ad eius ex diuino & canonico iure sit deuoluta. Extant per vniuersam Hispaniam quàm plurima tum à regibus, tum à pontificibus tum etiam à principibus viris magnificentissimis ædificijs constructa xenodochia, annuis prouentibus, liberalitate Regia dotata, in quæ innumerabilis pauperum multitudo curationis gratia sese recipit: Granatæ, Valentia, Casaraugustæ visuntur xenodochia à Regibus Hispaniarum ædificata, ea maiestate & diuitiarum copia ornata, quæ alendis quingentis pauperibus atque curandis abundè sufficiant. Tolenti & Hispali illarum ciuitatum pontifices talia condiderunt quàm plurima. Marchio quidam de Tarifa Hispali eam domum pauperibus ægris curandis parauit, cuius splendor, amplitudo, commoditas, & omnibus parata & propitia munificentia admirationem summam intuentibus adferret. At tametsi viri sæculares fundatores extiterint, & sæcularibus viris rerum illic gerendarum curam commiserint, non tamen comperimus vnquam auctoritatem ecclesiasticam ipsos refugisse aut exclusisse, quin primaria illorum xenodochiorum formatio consultoribus ecclesiasticis viris fuit instituta, & episcopi vel pontificis summi auctoritate fulcita. Deinde, quamuis sæcula-

res viri illic ad administrationem sint vocati, ecclesiastici tamen suis temporibus quid illic agatur, visi aut, inquirunt, & vt omnia ritè fiant, sua authoritate procurant. Malè igitur faciunt & impiè, qui ecclesiasticis viris hanc prouinciam adimere tentant, & contra diuinum atque canonicum ius grauissimè peccant. Nam quòd seculares ad xenodochiorum administrationem, & pauperum prouisionem in multis ciuitatibus admissi fuerint, id factum est duplici ex causa: primùm vt & ipsi sanctis illis occupationibus vitam promerentur æternam, ne existimarent ad se non etiam pertinere pauperum curam & sollicitudinem: deinde in illam sollicitudinem sunt viri nobiles asciti, vt populi qui clerum ob paupertatem vilificiunt, saltem nobilium aut diuitum splendorem reuerentes in fauorem pauperum inflecterentur, atque ad commiserationem excitati, seriùs in pauperum subsidia contribuerent. Adhæc admittuntur viri seculares vt ipsi sint testes oculati quàm bona fide, quàm fideles pauperibus vel legarunt aut contribuunt, ab ecclesiasticis expendantur.

CAPVT VII.

In quo agitur de œconomia circa peregrinos à patribus olim in ecclesia obseruata.



1. Tim. 3.

ETIAM peregrinorum cura episcopo & alijs viris ecclesiasticis ex diuino & communi etiam iure incumbit exercenda. Estque hæc sollicitudo de intrinseca ratione episcopalis dignitatis, teste Paulo ad Timotheum, cui cum conditiones episcopi futuri depingat, Oportet

tet, inquit, episcopum irreprehensibilem esse, vnius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicū, hospitem, doctorem, &c. Nihil exigit hīc Apostolus à viris illius ordinis, quod non serio ipsi sub pœna æternæ damnationis præstare teneantur, quod si non possunt, relinquunt episcopale munus. Si autem hæc quæ Paulus requirit, per se vel per alias personas debeant præstare, Dei & ecclesiæ relinquo definiendum iudicio. Hoc saltem meo seruit instituto, quod de ratione episcopalis dignitatis est hospitalitatem exercere, idque adeò vt non modò notos, amicos aut familiares, sed & peregrinos suscipere debeat: Paulus enim habet φιλόξενον, quod significat hospitem, siue peregrinorum amantem. Propterea Gregorius scribens ad Ioannem episcopum Archidiaconem Florentinum ecclesiæ Anconitanæ, indignum iudicat, cui dignitas conferatur pontificia, vt qui tam esset tenax vt in domum eius amicus nunquam ad charitatem introeat. habetur prima parte Decretorum: vbi ita stabilitum comperimus, scilicet: Hospitem verò sacerdotem esse oportet, ne sit de numero eorum quibus in iudicio dicetur, Hospes fui, & non suscepistis me. Qui enim Apostolum secutus fuerit, alios ad hospitalitatem debet inuitare. Quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? si enim sacerdos primùm à seipso, & à domestica sua ecclesia debet exigere, quod postea populis imperet, si primùm imitando Christum ipse debet facere quæ postea populum doceat: necesse est pauperes hospitio recipiat, quò ad hospitalitatem faciliùs suo exemplo subditos attrahat. Ordinandus itaque sacerdos ad memo-

Epist. 6. lib. 12

Dist. 41. c. 85

riam

In regula Monachorum de paupertate.

1. Timoth. 4.

riam reuocet, quomodo Abraham & Lot per hospitalitatis opera Deo placere, & angelos hospitio meruerunt recipere, & quomodo angeli Sodomis hospitem domum ingressi, Lot cum familia sua liberauerunt, quomodo clausas domos cum hospitibus ignis ingressus perdidit, quomodo etiam secundum Hieronymum aliena rapere conuincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur, ac sic per opera omnia pietatis se instituat, ut & presentis vite subsidia, & aeternae claritatis praemia à Deo percipiat: vtrumque enim pietati promittitur. Vnde Apostolus scribens ad Timotheum ait: Exerce te ipsum ad pietatem: nam corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem est utilis ad omnia, habens promissionem vitae quae nunc est, & futurae. Ab hac quisquis alienus fuerit, in sacerdotem ordinari non poterit: si enim vidua ab ecclesia recipi prohibetur, quae pauperes non recepit hospitio, quae pedes sanctorum non lauit, quae omne opus bonum non est executa, multo magis sunt prohibendi à sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni. Haec ex decretis. Ratio igitur officij episcopalis ac sacerdotalis exigit à viris qui hoc sacro ordine decorati fuerint, ut hospitales sint, & ad hospitalitatem sectandam populum exhortentur. Ad eò officij episcopalis est peregrinorum curam gerere, ut olim fuerit in more positum peregrinos non prius ex vna in alteram ciuitatem migrare, quam episcopi loci ad alterius ciuitatis episcopum literas haberet canonicas, quibus sua peregrinatio commendata, exilij aut alterius vitij nempe fugae aut vagidiscursus suspicionis notam reijceret. Vnde in concilio Antiocheno, sub Iulio papa 1. celebrato

celebrato ea de re hic fuit cōditus canō, scilicet: Nullum absque formata (quod Græci epistolam dicunt) peregrinorum clericorum suscipi oportet: est septimus, & citatur distinctione 17. Nullum absque formata. Et in concilio Arelatensi primo, ætate Sylvestris primi pontificis Romani celebrato sic legimus: *Cap. 7.* De præsidibus qui fideles ad præsidatum impetu profiliunt, ita placuit, ut cū promoti fuerint, literas accipiant ecclesiasticas communicatorias, ita tamen ut in quibuscunque locis gesserint, ab episcopo eiusdem loci cura de illis agatur, ut cū cœperint contra disciplinam publicam agere, tunc demum à communione excludantur. Et in concilio Laodicensi capite 42. quod etiam refertur Decr. 3. parte de cōsecratione, distinctione 5. fuit hæc constituta definitio: Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos præter iussionem episcopi ad peregrinandum proficisci, laicum etiam sine canonicis literis, id est, formata, similiter non oportet alicubi proficisci. Ex his sanctis cōstitutionibus elicimus, quæ olim à Patribus in causa peregrinorum instituta fuerit œconomia. Olim non licebat alicui nec clerico, nec sæculari ullam peregrinationem instituere inconsulto episcopo, cui erat cōmunicanda causa peregrinationis, quæ si iniusta esset, rejiciebatur, si verò pia & sancta, episcopus peregrinum ad institutum propositum exhortabatur, literisque canonicis peregrinationem approbantibus, personamque peregrini commendantibus peregrinus iter instituebat. Secundò peregrini in ea civitate, ad quam appulerant, mox se loci episcopo repræsentabant, qui eorum causa explorata, si res postulabat, eos consolabatur, & ad institutam peregrinationem

grinationem animatos reddebat, ac tandem quæ ad victum pertinebant in sua vel in xenodochiali domo receptis contributebat. Lauabantur illis pedes, & alia hospitalitatis officia benignitate Christiana ipsis vltro procurante episcopo exhibebantur.

Hinc factum est vt patres ecclesiæ Romani pontifices cum scirent sibi illud pietatis officium Deum optimum cum dignitate coniunctum sibi imposuisse, post Constantini Magni conuersionem, cum populus innumerabilis ad sacrata illa Petri & Pauli limina visitanda eximia religione vnde quaque conflueret, Romæ xenodochia quam plurima construxerunt, in quæ peregrini sese recreandi ac reficiendi colligerent. Et ne vlla inter tantas turbas exoriretur perturbatio, aut gentium diuersarum confusio, successu temporum, prout facultates ecclesiæ ferebant, fideliumque etiam subsidijs & oblationibus accedentibus pro qualibet gente recipienda singulis nationibus singula xenodochia constructa atque necessarijs exornata pontificum laudatissima parabantur prouidentia. Vnde Germania olim religiosissima gens suum illic retinebat xenodochium, Angli item, Scoti etiam, Hispani suum sancti Iacobi hospitale nunc possident, Franci similiter, Græcis etiam suus locus designatus demonstrabatur: atque Itali vniuersi celebratissimū illud xenodochium sancti Spiritus expositum & obuium, diuitijs maximis dotatum olim parabatur, cuius hodie non pœnitenda visuntur vestigia. Omnia quæ hîc erant agenda, consilio & auctoritate fiebant pontificis, & cardinaliū, atque presbyterorū: illorum erat partii hæc xenodochia inuisere, perlustrare, & cuncta ministeria quo pacto gererentur,

rerentur ; & à quibus, intelligere, horum etiam erat prospicere & circumspectare, vt peregrinis victus & amictus prospicerentur, vt item benignitate & indulgentia tractarentur Christiana. Erant (vt esse debent) pontifices peregrinorum & pauperum prospectores, ac fideles & seduli suarum rerum dispensatores. In horum etiam peregrinorum & pauperum subsidium qui turmatim ad urbem conmi-
 grabant, ciuitates & viri principes religionis amore prouocati etiam xenodochia quàm plurima, ipsaque construxerunt amplissima, miris & magnis commoditatibus recreationi pauperum & peregrinorum paratissimis referta. Tale erat famosum illud apud Senas xenodochium, cuius fama celebrata satis per exterarum regiones & illustris prædicabatur. Talia etiam sunt xenodochia illa in Hispania Cefaraugustæ, & in monasterio virginis S. Mariæ montis ferrati, & in diuę virginis oppido Guadalupe nūcupato pauperib⁹ & peregrinis sustentandis tantisper vel tandiu, quādiu necessitas & cuiusque calamitas postulauerit, appa-
 rata. Vbi incredibile memoratu, quanta benignitate, gratia & fauore per religiosos viros eò acceden-
 tes peregrini recipiantur. Eiusdem etiam formæ est illud laudatissimum munificentia Regum Hispaniarum apud Compostellam (vbi sancti Iacobi venerabilis corporis sanctissimæ reconduntur exuuiæ siue reliquię) ædificatum xenodochium, in quo magna & Christianissima religione peregrini admissi, & cōsolati ea animi iucunditate dimittuntur, quam cuiuscunque deuotio extantis, perspectis & veneratis Apostoli Christi reliquijs, exhaurire fuit merita. Sunt alibi alia dignissima, quorum hîc honorifica fieret

*Ideò pontifex
 vocatur seruus
 seruorum Dei,
 quia quæ pau-
 perum Christi
 sunt, curat ac
 curare debet.*

commemoratio, ab alijs Regibus, Principibus, & Magistratibus, peregrinis suscipiendis apparatus xenodochia: sed in quibus omnibus ea seruata fuit œconomia, vt eorum fundatio inconsulto pontifice loci, vel Romano nunquam fuerit attentata, nec in eius gubernatione nunquam fuit depulsa pontificis auctoritas, nec in rerum dispensatione eiusdem præterita dignitas, si modò catholici & pij fuerint gubernatores. Ex iure tenebantur perpetuò spiritualis villicationis rerum xenodochiorum dispensatores episcopo loci rationem petenti reddere, quam ipsi recusare sine peccati mortalis, & sacrorum canonum audaci temeritate minimè possunt cuiuscūque ordinis fuerint fundatores.

Episcopi verò cuiuscunque essent ciuitatis, nullū ad beneficia xenodochiorum participanda admittebant præter eum, quem episcopales canonicæ literæ commendatum iustum & verum peregrinum declarassent. Secus autem faciebant quando grauis aliqua conspiciebatur in peregrinis necessitas, vel ægrotudinis, aut famis, vel alicuius alterius miseræ, qua hominem videbāt afflictum & oppressum. Tunc enim nulla harum literarū habebatur ratio, sed solius charitatis, cuius amplissimæ dignitatis misericordia omnes miseros, calamitosos & exulceratos solandos & curandos apertis amplexibus suscipit. Huius rei singulare monumentum literis proditum nobis reliquerunt authores historiæ tripartitæ, vbi referitur temporibus Iuliani Imperatoris apostatæ tam officiosos Christianos in pauperes miseros, calamitosos & ægros fuisse, vt non modò tales fideles, verum & Iudæos, atque Gentiles curandos in sua colligerent

Libr. 6. ca. 29.

Obtinuit imperium hic apostata anno 361.

rent xenodochia. Vnde tyrannus ille Iulianus scribēs ad Arfasium pontificem falsum, eumque ad hospitalitatis officia paganis præstanda exhortans sic dixit: Turpe nanque est, vt Iudæos quidem non abijciant, sed potiùs nutriant impij Galilæi (sic enim ob contemptum vocabat Christianos) & suos pariter, nec non etiam nostros: nostri verò nostrorum solatio deserantur. Hæc Iulianus. Occultabantur crimina perniciosissima à vagis hominibus pietatis & peregrinationis (qui tituli fidelibus erant amabiles) prætextu obducto. Quæ vt vitarentur, Patres ecclesiæ illas literas formatas peregrinis dādas decreuerunt, quarum forma extat in concilij Niceni actis. Grauiissimæ fuerunt causæ, quæ Patres ad has leges condendas impulerunt: nimirum vt vitijs & abusibus, quæ harum peregrinationum pulchro prætextu intentabantur, prudenti ac circumspecta occurrerent prouidentia, vt vagos discursus clericis & laicis viris, qui domesticam fastidientes quietem, animum ad turpes illas ambages siue anfractus peragendos, temere laxabant. Quæ autem sint iustæ causæ, quarum ratione peregrinationes institui debeant, & quæ vitia illarū peregrinationum puritatem contaminare possint, & quibus vagorum hominum incumbat correctio atque punitio, annotarunt pulchrè patres illi sanctissimi in concilio Cabilonensi, gubernante imperium Carolo illo magno celebrato, cuius hæc est sententia: A quibusdam qui Romain Turonem'ue, & alia quædam loca sub prætextu orationis inconsultæ peragrunt, plurimùm erratur. Sunt presbyteri, & diacones, & cæteri in clero cōstituti, qui negligenter viuentes in eo purgari se à peccatis putant, & ministe-

Cap. 45.

Presbyteri & diacones negligentiam vite peregrinationibus purgandam arbitrabantur.

*Diuites peccāt
in peregrina-
tionibus.*

*In quibus pe-
regrinationi-
bus pauperes
peccent.*

rio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impunè aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia, sub prætextu Romani siue Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperes opprimunt, & quod sola cupiditate faciunt, orationum, siue sanctorum locorum visitationis causa se facere videri affectant. Sunt pauperes qui vel ideò faciunt, vt maiorem habeant materiam mendicandi. De quorum numero sunt illi qui circunquaque vagantes, illò se pergere mentiuntur, vel quia tantùm sunt vecordes vt putent se sanctorum locorum sola visione à peccatis purgari, non attendentes quod ait beatus Hieronymus: Non Hierosolymas vidisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. De quibus omnibus domini Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui verò peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochijs, confessi sunt, & ab his agenda pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet sanctorum inuisere desiderāt, horum est deuotio omnibus collaudanda. Ex hoc sacro canone ante octingentos annos condito, poterunt viri docti colligere, quæ vitia huic etiam pietatis operi malitia humana inspirauerit, cuius non pauca nec exigua hodie etiam inter Christianos inueniuntur improbitatis manifestissima signa. Colligent etiam Imperatores ac suos vicarios huius vel harum violationū rerum diuinarum à Deo optimo vindices pronuntiatos fuisse. Hæ literæ magni erant momenti illis temporibus,

poribus, & Iulianus apostata, qui Paganismum dilatare in omni sua ditione, & religionis catholicæ gloriam & maiestatem extinguere vehementer procurabat, ipsarum literarum episcopaliū notas in suorum Paganorum commēdationem maximè estimatus. Illis literis solebant episcopi alter alteri scribentes commendare peregrinos, & quò proficiscerētur, & à quibus venirent, modis omnibus indicare, & solatia promerebantur tanquam noti & amici essent, testimonio missi signaculi. Hæc ita sese habuisse refert tripartita historia. Harum literarum vestigia, & huius sanctissimæ consuetudinis nobis est relicta quædam vmbra, sed tanta est hominū improbitas & malitia, vt laudatissimū istud institutū perinde atq; alia fœdè supposititijs & surreptitijs literis alijsque deterioribus artibus maximè commaculauerint. Hinc tamen colligimus peregrinos simulatque ad ciuitatem aliquam appulissent, ad loci episcopum vel ad eius vicarios debuisse diuertere, quibus peregrini suæ peregrinationis literas tenebātur ostēdere. Quibus exploratis percipere possent, quæ causa susceptæ peregrinationis occasionem dedisset! Quæ si canonica & sancta deprehēderetur, hospitalitatis peregrino benigna & necessaria in ecclesiæ xenodochio per ministros episcopi exhiberentur officia: sin minus, ab episcopo dimissus peregrinus Magistratui indicandus permittebatur. Laudatissima erat profectò hæc Christiana in peregrinis suscipiendis atque tractādīs œconomia, cuius si hodie in nostris ciuitatibus debita haberetur ratio, non ita quidem tot heluones, grassatores, fures ac vagabundi erronei emergerent, qui præter id quòd ciuitates multum deho-

Lib. 6. cap. 29

nestant atque deformant, vitia quæ secū bonis ciu-
 b⁹ inuehūt turpiora sunt & grauiora, quàm quæ nos
 paucis comprehendere possemus. Facile quidem hæc
 grauiissima vetarentur mala, si episcopi, quod sui est
 muneris, vellent curare, & prophanus magistratus
 suis limitibus contentus episcopales & ecclesiasticas
 fūctiones intemeratas relinqueret, nec diademati im-
 periali (vti olim) thiarā pontificiā adijcere vellet. Om-
 nes fideles etiam olim huic pietatis operi religiosiūs
 præter episcopalia xenodochia, inseruiebant. Petrus
 Cap. 4. enim in priore sua canonica ab omnibus fidelibus
 exigit vt hospitales sint inuicem sine murmuratione.
 Ad quod etiam pietatis officium Paulus Romanos
 Cap. 12. exercendum diligentissima inducebat exhortatione:
 nimirum vt quod pietatis studium ad salutem neces-
 sarium prorsus Apostoli Christi fidelibus esse scie-
 bant. In hoc pietatis officio Hebræi, qui ab Christo
 ipso, suisque Apostolis prima catholicæ fidei rudi-
 menta didicerāt, exercitatissimi fuerunt. Verùm cum
 Iudæorum rabie nefaria sua bona illis essent erepta,
 atque vastata, aliquo modo in huius officij obsequijs
 præstandis videbantur elanguisse, atque plus solito
 ad rem conseruandā fuisse redditos attentiores, quo-
 rum negligentia & vitio vt Paulus occurreret, cum
 Cap. 13. ad ipsos scriberet, ipsis hospitalitatis memoriam refri-
 cat, dicens: Hospitalitatis nolite obliuisci, hoc est, no-
 lite obliuioni tradere sanctum illud pietatis opus
 hospitalitatis: quòd si facultas non fert vt ea quæ
 olim, præstetis, saltem pro modo & tenuitate vestra,
 perpetua recordatione apud vos hoc pietatis flo-
 reat officium. Non minus enim à laicis viris, quàm
 ecclesiasticis requirit Christus charitatis opera, inter
 quæ hospitalitas non infimum tenet locum. Proin-

de Patres ecclesiae in concilio 2. Matisconensi aetate Pelagij secundi celebrato sic stabilierunt: Sectatores hospitalitatis nos esse non solum Dominus Iesus admonet, cum adicit in hospitem se fuisse receptum: sed etiam eius Apostolus omnibus pene praeceptis. Propterea beatissimi fratres, vnumquodque nostrum oportet non solum semetipsum ad hoc opus aptare, sed etiam omnium fidelium mentes, ut possint apud Deum misericordiae operibus pro nostris peccatis intercedere, & nos ei per veram hospitalitatem reconciliari. Si quis ergo nostrum non admonuerit, aut exemplum exhortationis suae ipse prius non comprobavit opere, indignationem divinae procul dubio incurret maiestatis. Praedicetur hoc nostrae mediocritatis statutum in auribus omnium Christianorum. Christiani qui doctrinas suorum episcoporum summa religione venerabantur, nitebantur pro viribus ad earum amissam vitae actiones instituire, nitebantur etiam pro viribus huius sacrae hospitalitatis hospitium peregrinis & aduenis impedere. Verum cum non semper domi id propter familiam (quae interdum erat numerosa) aut propter alia incommoda quae suboriebantur, non esset integrum, deliberarunt communi sententia illa xenodochia in ciuitatibus erigere, in quae qui aduentarent, sese reciperent pauperes peregrini. Ad quorum sustentationem liberalitate festiua quisque fidelium pro suo modo contribueret. Vnde ciues qui domi peregrinos hospitio non recipiunt, meminerint se subsidia debere illis locis, in quibus peregrini hospitati recreantur, & aluntur. Ea enim ratione satisfecerint huic praecepto de peregrinis colligendis. Alij autem fideles, quorum fortuna opulentior erat, & foelicior,

Floruit hic pontifex anno 580.


Canone 11.

Matth. 25.

Ad Rom. 12.

1. Pet. 4.

Ad Hebr. 13



& ardentior charitas, in id pietatis opus aliquam erigebant, & ornabant domum, quam annuis donatam redibus peregrinis excipiendis atque tractandis legatam moribundi relinquebant. Harum etiam domorum primaria cura & sollicitudo olim ad episcopum loci spectabat, ipsius erat explorare, quæ bona essent illic derelicta, quæ supellex & quanta, quot & quales redditus, qui ministri, qui etiam peregrini essent admittendi, ac reiiciendi, quomodo tractarentur, ac denique vt cuncta paucis perstringamus, episcopi erat horum omnium rationem à dispensatoribus exigere, & si qui essent abusus aut vitia, corrigere & emendare. Nec poterant fundatores hanc potestatem illi ademptam velle, vtpote quæ à Christo illi sit data: ipse est constitutus pater pauperum, peregrinorum, orphanorum, miserorum ac viduarum. Et cum fundatores illarum domorum vel xenodochiorum illa bona in eleemosynam pauperum aut peregrinorum apud se constituerint elargiri, iam earum abrenuntiaunt dominio ac possessioni, atque facta sunt illa bona eleemosynis destinata diuini iuris, secundum sententiam Chrysostomi ad Olympiadem viduam diaconissam in loco superius adducto. Cum igitur fundatores illa bona pauperibus legauerint, mox quod in ipsa habebant ius & dominium, pauperibus vltro dederunt. Atqui quia hi forsã hæc perderet, Christus ipsis episcopum dedit patrem, constituit œconomum, prouisorum, dispensatorem atq; administratorem. Quod quia abundè satis me id probasse superius arbitror, non est quò hinc eadem sint mihi repetenda. Satis erit, spero, pijs & veritatis amatoribus hæc dixisse, quibus planè ostendimus, quæ fuerit olim in ciuitatibus bene

ne institutis, de querebus diuinis rectè informatis circa peregrinos œconomia, atque ipsos tractandi inuita, & exequutioni mandata ratio.

CAPVT VIII.

In quo ostenditur, quòd in recipiendis hospitibus nulla debet esse distinctio.




VIVS rei nos etiam satis certos beneque informatos reddiderunt Patres illi ecclesie primitiue, qui nectar illud Apostolicarum doctrinarum recentius & purius biberat. Inter quos Ioannes ille Chrysostronus Orientalis ecclesie splendidissimum iubar, ea de re singulare pronuntiauit sententiam, quando ita dixit illis quasi consulens, qui anxia inquisitione sese torquebant discutientes eorum vitas atque actiones, qui ad hospitalitatis officia essent admittendi: Quiescamus, inquit, ab hac absurda curiositate & diabolica & peremptoria: si enim in clero se electum esse dicat, si sacerdotem se nominet, scrutare: non enim sine periculo in talibus indiscussa communicatio est. Circa maiora maius periculum vertitur: non enim das, sed accipis. Si verò pro nutrimento postulas, ne in his examines quomodo Abraham hospitem se circa omnes ostendebat. Si scrutator esset circa refugientes ad se, nunquam angelos hospitio recepisset: fortassis enim non putasset eos angelos, sed cum reliquis repelleret. Sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & angelos: non enim ex vita eorum quos accipis mercedem tibi retributurus est Deus, sed ex voluntate & honorificen

*Hom. II. ad
cap. 6. epist. ad
Heb.*

Dist. 42. tia multa, & misericordia & bonitate: hæc Chry-
 stomus, quæ etiam Decretorum 1. p. citantur. Qui-
 cunque igitur hac molesta curiositate se viderit per-
 plexum, discat animi motus hac sanctissima Chryso-
 stomi sententia componere. Hic Pater docet qua in
 re sit iudicium faciendum, nempe in dignitatibus, si
 sit clericus, sacerdos, vel laicus. Hoc multum interest
 scire, & nocet ignorare. Cæterum non est quo te de-
 fatiges scrutado, num bonus sit peregrinus an malus,
 bono animo præstemus hoc charitatis officium, &
 inde nobis Deum conciliabimus, eiusque gratiam
 nobis promerebimur. Decursa atque perpensa hac
 sententia poterit vir doctus ac pius, qui huius perple-
 xitatis nodo se viderit implicatum, iudicium facere,
 quæ olim Patrum ea de re fuerit sententia. Discet etiã
 utrã ipse velit amplectendã eligere, eam'ne quæ do-
 cet inquisitionem esse faciendam de persona, vita,
 moribus, & facultatibus eius, qui miseranda & ma-
 nifesta calamitate afflictus opem nostram implorat,
 an alteram, que docet calamitosus esse succurrẽdum,
 quamvis vitijs vel deploratis laborent. Me consul-
 tore viri pij, pietatis & piorum ac sanctissimorum Pa-
 trum doctorum ecclesiæ studiosi eam sententiã imi-
 tandam amplexabuntur, quæ docet pauperibus sub-
 ueniendum: mali sint an boni minimè anxie riman-
 dum, vt quæ tutior sit, & viro Christiano dignissima,
 præsertim cùm Christi diuino sit confirmata exem-
 plo, qui ingratis leprosis incolumitatem præstitit, &
 nepharium Iudam ad mensam & conuictum hospi-
 talitatemque admisit.

CAPVT IX.

*In quo ostenditur quæ œconomia à Patribus post conuer-
sionem Constantini magni circa honestorum paupe-
rum subuentionem obseruata fuerit.*



STENDIMVS superiùs quã œco-
nomiam Apostoli seruandam insti-
tuerint in pauperibus suæ ecclesiæ
sustētandis, quæ etiam modò, nescio
quare nobis non veniat obseruāda;
cùm non sit minus necessaria quàm
olim. Pauperes veri secundùm Chryso-
stomum dicuntur & sunt, qui proprijs manibus sibi victum pa-
rare non possunt. Pro istorum subuentione perpetuò
Christus ipse verus & primus episcopus, Apostoli &
omnes illi qui ab illa inde ætate Apostolis succe-
runt Patres solliciti fuerunt & anxij. Simili sollicitu-
dine erant affiendi episcopi nostri sæculi; vt qui nō
modò in potestatis Apostolis successerint dignitatē,
verùm in partem sollicitudinis, curæ, & vigilantia.
In succurrendis horum pauperum Christianorum
necessitatibus varia ab diuersis fuit episcopis ratio.
seruata. Refert historia tripartita Ægyptios Alexan-
driæ vicinos, & Thebaidos habitatores sabbatho qui-
dem collectas egisse, sed non sicut moris erat, sacra-
menta percipiebant. Nam postquam fuerant epulati,
& cibis omnibus adimpleti circa vesperam oblatio-
ne facta, communicabant. Alexādriæ quarta & sexta
feria scripturæ legebantur, easque doctores interpre-
tantes, omnia fiebant per solennem oblationis mo-
rem. Origines enim plurima in his diebus videtur
docuisse, quibus populum ad pietatem in pauperes
conaba-

Lib. 2. cap. 1. 2.

*Tom. 3. episto-
le 2. ad Theff.
hom. 5.*

Lib. 9. ca. 38.

conabatur accendere . Ex hac historia colligimus Patres illius ecclesiæ primitivæ ita instituisse suos fideles ad pauperum beneficentiam exercendam, ut quod per integram septimanam apud se in suis domibus, pauperibus elargiendum, siue ex suis redditibus, vel ex quotidiana suorum laborum mercede repositum collegissent, id diebus dominicis in templa secum conferrent, & cum ex more essent communicaturi, absoluta communicatione corporis Christi, repositas elemosynas ministris ecclesiæ (qui forsan erant diaconi vel subdiaconi) colligentibus ipsas alacres conferebant, qui ad archidiaconum illas referebant, & hic episcopo, cuius autoritate pauperibus civitatis prout cuique opus erat, dispensabantur . Vnde oratio illa, quam post sacram synaxim sumptam sacerdotes canere solent, collecta est nuncupata . Alexandria hæc consuetudo non fuit in usu, ut scilicet diebus dominicis oblationes fierent, sed quartis & sextis feriis: idque fiebat solenni quadam celebritate, quam illustriorem reddebat Origenis, aut alterius clari viri, quæ tunc habebatur, concio . Quæ consuetudo à Patribus propter vitia, quæ forsan irrepserant, fuit antiquata . Et Christiani qui singulis diebus dominicis diuinam eucharistiam sumere erant soliti, postmodum cum maxime rerum diuinarum feruor reperet, semel in anno ut saltem accederent, fuit à Patribus stabilitum . Et sicuti huius sacrati epuli frequentiorè summptionem charitatis damnatus dissuasit tepor, ita eiusdem charitatis frigiditas fuit in causa, quò elemosynarum largitiones elanguescerent apud fideles . Vnde cum ea pars reddituum quæ pauperibus ecclesiæ alendis ex illa canonica diuisione primùm à sancto Sylue-

Syluestro papa instituta, deinde ab alijs sanctis pontificibus nempe Gelasio & Gregorio cōfirmata, fuerat destinata, non sufficeret ob pauperum multitudinem, & eorum magnas & grauiissimas necessitates, quæ indies augebantur, communi omnium patrum sententia sancitum fuit, vt viri ecclesiastici, nempe episcopi, presbyteri, atque diaconi viros ex laicorum ordine pietate & religione commendatos eligerent, quibus ea demandaretur prouincia, vt hebdomadam eleemosynas diebus festiuis dum sacra solennia celebrarentur, à reliquis opulentioribus in templis peterent, in vnumque collectas, & episcopo redditas per ipsiun & suos ministros pauperibus ecclesiæ dispensarentur tam bona fide, vt Deo optimo qui earum exactissimam in extremo iudicio est petiturus rationem, respondere cum suæ misericordiæ gratia dignè possent. Vt autem hæc eleemosynæ fidelius, & religiosius dispensarentur, episcopi (qui omnium fidelium patres spirituales erant & sunt) pro loci capacitate, ac populi exigentia diaconos ordinabāt, qui diligētī studio expiscarentur omnium fidelium mores, vitia, atque virtutes, vt si quis alicuius criminis turpitudine sordidus existeret, episcopo, cuius erat & est illis malis in tempore mederi, annunciaret. Si autem alij essent virtutum splendore illustres, ad altiora episcopali & paterna exhortatione accenderentur sanctitatis incrementa. Horum etiam diaconorum erat circumspectare, qui essent pauperes & aduersa fortuna oppressi, qui item egestatis angustia macerarentur, qui denique ægri & calamitosi in fidelium cœtu inuenirentur, vt vnicique prout eius exigeret egestas, prospiceretur: hæc omnia hi diaconi ad episcopum

Decret. 1. p^a.
te dist. 93.

pū referebāt, qui affectu paterno filiorū miserijs pro virib⁹ leuare conabatur . Proinde diaconi dicūtur & olim dicebātur oculi episcopi: horū officiū quale esset nobis scriptū reliquit Clemēs ille pōtifex factissim⁹ à Petro 3. in epist. 1. ad Iacobū fratrem Domini, cuius verba recitantur in hac forma : Diaconi ecclesiæ sint tanquā oculi episcopi oberrātes & circūlustrantes cū verecūdia actus toti⁹ ecclesię, perscrutātes diligētius, si quē videāt fieri vicinū præcipitio, & proximū esse peccato, vt referā: hoc ad episcopū, & ita episcopo suggerere quæ ad cultū ecclesiæ, & disciplinā eius pertinet, diaconis cura sit. Hic pōtifex sanctissimus Petrū, cui⁹ fuerat discipulus & coepiscop⁹, ac tandē post ei⁹ mortē 3. vicarius & successor, imitat⁹ 2. diaconos elegit tantū. Nimirū plurib⁹ nō erat opus, quia forsan 7. quos in annalibus ecclesiasticis legimus Petrū ordinasse, & alios etiā nonnullos (quorū certus nō cōstat numerus, qui à Lino 1. Petri successore in eū diaconat⁹ ordinē fuerāt promoti, forsā erāt in viuis, aut saltē bona pars illorū. Petr⁹ enim (vt hæc obiter hīc annotemus) Apostolorū & totius ecclesię caput, & vniuersalis ac sanctissimus pōtifex, sacerdotio in Orientab⁹ ecclesijs, præcipuèq; Hierosolymis, & Antiochię ritē instituto, cū in urbem Romanā ecclesiam fundaturus venisset, ex omni fideiū multitudine, præcipuisque nostræ religionis cultoribus viros quosdā seniores bonū testimonium ab his qui foris sunt habentes, plenosq; spiritu S. & sapientia, spectatæ fidei, & raræ probitatis, Hierosolymitanæ, cæterarūque ecclesiarū Oriētalium more delegit (hi clerici appellati sunt) quos per manuū impositionē partim presbyteros, & partim diaconos consecrauit, quorum opera
pontifex

pontifex ipse, siue episcopus Romanus in instituēda
 crescente tunc ecclesia vteretur, cū ei tot millibus
 hominū ad fidē Christi quotidie venientiū cōsulere
 non esset integrū. Porro autē presbyterorum & dia-
 conorū munia, vt pro se quisq; suū officiū & nosceret,
 & impigrè faceret, diuidere imprimis cōducibile vi-
 sum fuit. Itaq; summam rerū, animarū scilicet curan-
 darū negotiū presbyteris cōmisit, vt sacramēta eccle-
 siastica plebi Dei administrantes, orationi & ministe-
 rio verbi cū episcopo vacarent: diaconis autē vidua-
 rum, pupillorum, & reliquorum pauperum fidelium
 subueniendorum curam demandauit, eisq; iniun-
 xit, vt presbyteris sacra facientibus præsto essent.
 Quorum omnium numerus cū prius modicus &
 incertus esset, ei modum statuere Cletus & Euari-
 stus Romani pōtiffes. Cletus enim (vt author est ex
 Damaso Bibliothecarius) presbyteros ad certum nu-
 merum redegit: Euaristus verò qui sextus fuit inter
 Romanos pontiffes, Petri vicarius, Apostolorum
 more ad septenarium diaconos in ecclesia Romana
 auxit. Quibus etiam mandauit vt episcopum prædi-
 cantem propter stylum veritatis custodirent. Huius
 cōstitutionis talis extat sentētia ex 1. parte Decret. 1. *Dist. 93.*
 epist. eiusdē Euaristi ad episcopos Aphricanos: Dia-
 cono qui quasi oculi videntur esse episcopi, in vnaquaq;
 ciuitate septem debent esse, qui custodiant episcopū
 prædicātem, ne ipse episcopus ab insidiatoribus quo-
 quo modo infestetur, vel lædatur à suis, aut verba di-
 uina detrahendo, aut insidiando polluantur, vel des-
 piciantur: sed veritas spiritali redoleat feruore, &
 pax prædicata labijs cum voluntate animi concor-
 det. His itaque diaconis, vbi alia exequuti essent mu-
 nia sacra, pauperum etiam demandata erat cura. Illi

omnes simul cùm fidelium numerus non esset tam frequēs omnium pauperum, promiscuè omnes diaconi sollicitudinem obeundam suscipiebant . At qui vbi fidelium concursus quotidianis accessionibus maiora caperet incrementa, nec commodè tãtæ multitudini cibum tum animarum tum etiam corporũ presbyteri nec diaconi suppeditare possent, idem Euaristus Romanus & sanctissimus pontifex circa annum à Christo nato centesimũ, populum illum Christianum (prout illius temporis ferebat occasio) in certas parœcias in vrbe Romana presbyteris diuisit, ad eò vt singuli presbyteri à se inuicem secreti in sua vrbis regione aut parœcia, confusionis tollendæ causa, diuina mysteria populum erudientes, sacramenta Dei omnibus ad se venientibus fidelibus exhiberent. Et vt Christiani absque difficultate locum & suum pastorem, ad quam, cùm volent diuinum aliquod sacramentum sibi dispensari, planè cognoscerent, sanctissimus pontifex quamlibet parœciam titulo quodam designandam decreuit. Cuius beneficio Christiani suum faciliè presbyterum cognoscere possent, & cùm necessitas premeret, ad eum pro necessitatis remedio confugerent. Hi presbyteri inter concionandum fideles opulentiores ad pietatis officia maximè exhortabantur propositis fratrum miserijs, & calamitatibus apud ipsos prædicatis. Aderant diaconi qui fidelium oblationes, donaria, & quæcunque alia ditiores largirentur in suorum fratrum subsidia reciperent. Quæ ex autoritate & iudicio episcopi per diaconorum ministeria, qui pauperes habebant exploratos, & quanta vnusquisque angustia premeretur, quantaque itè vniuscuiusque esset familia, rectè

rectè callebant, & fideliter episcopo demonstrabant, disponebantur: nihil committebatur viris prophanis, nimirum quia ratio officij id non permittebat. Hoc factum cōsiderantes patres & episcopi aliarum ciuitatū, statuerunt illud sibi quasi diuinitus datum exemplar rerū agendarum in hac spirituali pauperum œconomia sibi imitandū. Proindeque vbi post magni Constantini conuersionem grauissimæ illæ tempestates, quæ in ecclesiam inaudita crudelitate sauerant, sedatæ quieuerunt, episcopi (quibus iam ex Imperatoris authoritate id erat integrum) populosam fidelium multitudinem, in singulis ciuitatibus in distinctas collocant parœcias, quibus suos etiam pastores atque diaconos constituunt, qui in suo ministerio quilibet quod sui muneris erat curaturus. Hæ parœciæ erant dispositæ per cuiuslibet ciuitatis vicos, ad eò vti tot essent presbyteri atque diacones, quot essent in ciuitate parœciæ aut vici. Quale fuerit presbyterorum officium, declarauimus satis superius. Diaconi verò præter alia quæ iam declarauimus officia, illud etiã erat, vt quilibet in suo vico exploratos & perspectos haberet pauperes, eorūq; miseras, calamitates, & familias, vt iuxta id quod illis opus esse viderent, episcopus per suos diaconos prospiceret. Hinc est quòd in illa Turonica synodo secunda circa tempora Pelagij primi anno 580. à Christo nato celebrata, & passim in alijs vetustissimis concilijs tales viri vocantur presbyteri vicani, diaconi vicani, & subdiaconi vicani, nimirum propter prouinciam illam, quam ex decreto pontificum quilibet illorum vicatum in fideles administrabant. Hi tenebantur episcopo suæ œconomia singulis diebus, aut hebdo-

Orig. in Mat. tractatu 16. docet diaconis mensuram curam esse commissam. Idem etiam affirmat Amb. libr. de officijs, de sancto Laurentio.

Cap. 20.

H

madatim

madatim, vel semel saltem in anno rationem reddere, illic præsertim, vbi præter quotidianas oblationes & eleemosynas possessiones etiam erant & redditus in pauperum vsus assignati. Hæc consuetudo etiam temporibus Gregorij Magni adhuc florebat, quamuis aliquibus vitijs vtcunque concussa, noti tamen prorsus labefactata. Quod ex quàm plurimis ipsius Gregorij epistolis constat, in multosque annos postea deducta in ecclesia duravit. Malitia autem temporis factum est vt statuta alioqui sanctissima vel obliuioni sint tradita, aut turpi ecclesiarum vecordia præterita, vel certè sæcularium nimio tepore antiquata. Ecclesiastici viri temporum progressu cum suam dignitatem ecclesiasticam (nescio quorum culpa) viderent non esse in tanto pretio, vt eam sæculares reuererentur, nec eorum persuasionibus omnes fideles in beneficijs pauperibus præstandis acquiescere vellēt, decreuerunt sibi esse adsumendos viros sæculares; graues, & boni nominis, qui diaconorū officio, quatenus ad eleemosynas colligendas ac distribuendas spectat, defungerētur, qui testes essent oculati, quàm bona fide, quæ à fidelibus in pauperum subsidia essent contributa, disponderētur, qui etiam alios sui ordinis viros huius æquitatis & iustæ dispensationis certiores reddere possent. Horum autem hominum electio ad ecclesiarum presbyteros, quos modò pastores vocamus, spectat. Parœciarū pastores vel præpositi in vnaquaque parœcia quatuor vel plures annuatim eligunt viros ex suis subditis, qui prouinciã illam subuentionis pauperum curandæ & exequutioni mandandæ rotum annum sustineant. Hi vocantur Magistri mensarum sancti spiritus, ratione dispensatio-

*Greg. epist. 66.
li. 7. ad Iannarium Car. li.
prohibet res ecclesiasticas secularibus viris committi.*

Decret. 1. par. distin. 90. fol. 139. parte 2.

penfationis, quod nomen olim erat diaconorum, & officium etiam. Verùm inconſulto parœciæ paſtore, his non licet vel minimam portionem diſtribuere quantumuis calamitoſo & miſero. Sed priùs paſtoris expectata ſententia illis pauperibus, quos paſtor eo eleemoſynarum beneficio dignos iudicauerit, illas diſpenſant. Præter hos magiſtros pauperum menſarum ſunt & alij octo vel nouē viri vniuſcuiuſque parœciæ, qui rerum quæ reparationem & ſuſtentationem templi ſpectant, curam gerunt, quiſque ſepulchrorum iura recipiunt, in reparationem templorum, & ornamentum eccleſiarum expendenda. Vnde quia ſacram ædem curant, ædiles ipſi vocantur. Hæc prouincia laicis viris principiò fuit mandata, quia templi reparatio ad parœcianos componenda ſpectat. Vt autem ipſi videant quæ reſarciendis tectis ſunt neceſſaria, voluit eccleſia homines ſui ordinis eligi, qui earum rerum eſſent teſtes oculati. Horum etiam ædihum auditis ſuffragijs, paſtores eccleſijs de opportunis, pijs atque eruditis cõcionatoribus proſpicere ſolent. Et cum ipſis, quæ circa negotia reparationum eccleſiarum ſubornuntur quæſtiones, conſultant, ac definiunt. Hæc praxis in negotijs pauperum tractandis obſeruatur apud Belgas, præſertim in Flandria, Brabantia, Hānonia, & Artelia, Hollandia, & Luxemburgo, & in alijs multis dittonibus Germaniæ ſuperioris: obſeruatur etiam in Hiſpania, in regno Valentino, Aragonico, ac in comitatu Catalonico, & in multis etiam ciuitatibus regni Caſtiliæ, & per vniuerſas fere Gallorum prouincias. Tandem pro huius capituli vltima definitione eſt aduertendum, quòd quamuis laici ad huius ſacri miniſterij functionem

promoucantur, suprema tamen rerum agendarum
authoritas penes vnum pastorē (quod & esse debet)
ex diuino iure manet firmata. Exacto anno presentes
ædiles vel magistri mensarū ad rationes subducēdas
sefe planè componunt. Quas cū paratas habuerint,
in publica concione curant apud populum procla-
mari, se velle omnium quæ in suam venerunt pote-
statem bonorum pauperum per illius decursi anni
spatium omnibus cupientibus sibi ea de re satisfieri,
rationem reddere. Ad idque certum, quem iam ha-
bent præstitutum, diem declarant, vt qui volet ratio-
nes discussurus adsit, & consideret. Defunctisque æ-
dilibus & magistris mensarum, alij ex iudicio pasto-
ris auditis etiam defunctorum suffragijs, sufficiun-
tur, qui vbi pastori sacramento sese obstrinxerint, ab
eodem pastore confirmantur. Non contingit rarò
quòd mensa pauperum vnius parœciæ plures ha-
beat portiones in pauperum alimoniam distribuē-
das, quàm egentes, quibus illæ distribui possint.
Tunc temporis pastores qui diaconorum vicariās vi-
ces gerunt, ad episcopum loci, si adsit, id negocij es-
sent delaturi. Qui conuocatis aliarum parœciarum
pastoribus, ex ipsisque diligenter instructus, in cuius
vico vel parœcia plures sint pauperes, reque cum
ipsis communicata, illud supplementum cæteris pau-
peribus iustissimè deberet attribuere. Quòd si tanta
sit fidelium in pauperes munificentia, vt nusquam
sint qui indigeant, tunc temporis ea bona ex consilio
episcopi, vel pastorum, adhibitis in consilium magi-
stris mensarum, xenedochiorum ægris curandis, vel
virginibus eiusdem ciuitatis, orphanis & pauperibus
matrimonio collocandis diuina dispensatione elar-
girentur

girentur episcopus aut pastores. Quòd si nec hi, qui hoc indigeant beneficio, in ciuitate conspiciantur, tunc ad pauperes ecclesiæ vicinæ, hoc est, ad pauperes vicinioris ciuitatis subsidia illa residua essent mitenda, ita tamen vt missas oblationes episcopus & pastores vel diaconi recipiant, atque distribuant. Nec nostro tantùm iudicio consulto hanc sententiam astringendam arbitramur, sed eam Apostolica auctoritate Pauli suffulti, & eius diuinis exemplis confirmati audemus docere, si res eueniret, ita esse faciendum. Nam is sacratus Apostolus collectas Macedoniae & Achaiae factas, atque Corinthi, Hierosolymas in eorum pauperum qui illic agebāt (quos non semel sanctos vocat) mittit. Qui Paulus cùm esset episcopus, illa dispositione collectarum ad pauperum Christi Hierosolymitanos destinata, sanctis pauperibus sui sæculi consuluit, & eo facto œconomiae in posterum subsequituris episcopis obseruandæ, si talis emergeret necessitas, exemplum viuum reliquit. Quod euestigio quàm plurimi episcopi sunt imitati, præsertim Romani, penes quos ea consuetudo singulari celebratur religione: vt si quæ, pauperib⁹ Romanis pastis, essent residua, per manus sui pontificis ad pauperes aliarum ciuitatum (quorum tunc temporis magnus erat concursus) alendos mittebantur. Hoc testatur Dionysius episcopus apud Nicephorum Calistum, *Libr. 4. ca. 8. hist. ecclesia 7.* qui in epistola, quam ad sanctissimum Soterem Romanum pontificem scripsit, ita ait: Iam inde ab initio hæc vobis consuetudo, vt fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & ecclesijs multis, quæ passim sunt in vrbibus, subsidium mittatis, per quod iam dudum egenorum penuriam recreatis, & fratres

Lib. 4. cap. 9.

in metallis opus facientes alleuatis, moremque Romanum à maioribus acceptum Romani retinetis. Quem nō modò conseruauit, sed adauxit etiam beatus episcopus vester Soter, cū liberaliter munera submittendo, tum fratres ad nos redeuntes, vt filios suos pater amantissimus, sermonibus beatis cohortando. Hæc ex Nicephoro. In quibus est maxima animaduersione dignum quòd affirmat scilicet more à maioribus acceptū fuisse Romanis, multa beneficiorū genera & subsidia mittere fratib⁹ fidelibus, qui erant in alijs ciuitatibus. Et idem Nicephorus de quodam alio episcopo Attico nūcupato, Constantinopolitano, ita refert: Atticus autem episcopus Constantinopolitanus, vt ecclesia incrementa sua caperet mirificè operam dedit: summa enim prudentia ea administrans, continua doctrina populum ad studium virtutis excitauit, & ad misericordiam atque largitionem tam procliuis fuit, vt non modò eis qui in parœcijs eius erant, egenis prouidendum duceret, sed etiam vicinis Constantinopolis ecclesijs pecuniam multam ad pauperum consolationem mitteret. Porrò ex vna eius epistola quam ad Calliopium Nicenum presbyterum dedit, missis simul trecentis aureis, qualis ea re vir fuerit, satis patebit. Ea sic habet: Calliopo presbytero Attic⁹ in Domino salutē. Decies mille in vrbe vestra egenorum piorum commiseratione egere cognoui. Decies mille dum dico, multitudinē ipsam, non certū pauperū numerum ostēdo. Quandoquidē verò certum pecunię numerū ei acceptum fero, qui pro liberali manu rite eam dispensantibus donat, & nonnulli indigent, explorandorum eorum gratia, qui habent quidē, sed illis non dant,

dant, acceptis à me, ô charum mihi caput, trecentis aureis istis, vt voles, eos expende. Voles autem eis maxime, qui mendicare erubescunt, non illis qui in vita ventrem ad nundinationem proponunt. Cùm igitur pecuniam largieris, religionis hac in parte rationem non habebis, hoc vnum spectans, vt indigentes alas, neque eos preferas qui moribus nostris viuunt. Hæc Atticus episcopus Constantinopolitanus apud Nicephorum. Ex qua sententia plura sunt dignissima, quæ ab episcopis nostri sæculi obseruentur: primò, quòd singulari diligentia episcopus Atticus sua doctrina studuerit populum ad pietatis studia excitare, vt quæ ad salutem semper fuerint necessaria: deinde, ipsum Atticum ad largitiones fuisse procliuem: post, non modò pauperibus suæ ciuitatis prospexisse, verùm & aliarum ciuitatum miseris vltro succurrit. Mox, ab eleemosynarum beneficio non vult exclusos qui nostram religionem non profitentur, modò inedia premantur miseria. Quintò, episcopum esse qui pecunias recipit Constantinopolis, qui illas sua prudentia erogat. Sextò, cùm sibi mittenda essent illa pauperum subsidia in vicinarum ciuitatum pauperum alimoniam, ad episcopum illas dirigit, non ad magistratum, cuius authoritas nihil habebat iuris in illa bona, quæ pauperum Christi beneficijs iam erant adscripta. Septimò, est notanda illius sæculi pietas incomparabilis Christianorum in pauperes Christi, quibus tam liberales sese præstabant, vt non modò indigentibus illius ciuitatis Constantinopolitanæ subleuandis abundè suppeditarent, verùm quæ alijs externis pauperibus erogarentur, vltro contribuerent. Octauò, quod admirationem maximam consideran-

tibus adfert, est quod cum tantus conuentus hominum miserorum & pauperum in vna ciuitate confluxisset, neque illos ciues fastidiebant, neque exhorrebant, neque senatus illius ciuitatis de illis aduenis expellendis pauperibus vel de accedentibus non admittendis nec semel consultauit. Nimirum intellexerant ex diuinis doctrinis in quibus imbuti satis feliciter fuerant, non esse Christiani pectoris, sed impij & barbari, calamitosi atque indigentibus viscera claudere. Quod Ioannes in sua affirmat canonica, aperte accusat, conuincit, ac tandem vt impium damnat atque condemnat.

CAPVT X.

In quo ostenditur quare Christiani modo non diuendant sua, & ad Apostolorum, hoc est episcoporum pretia pauperibus distribuenda proyiciant pedes.



VRBANVS papa & martyr sanctissimus, qui duodeuigesimus à Petro vniuersalis ecclesie gubernacula rexit anno à Christo nato ducetesimo vigesimo quarto, vir sanctitate celebris statuit fideles qui ad Christi religionem profitendam venerant, qui que soliti erant possessionum suarum (quas distraxerant) pretia Apostolis, & episcopis suis successoribus in pauperum, ecclesiarum que reparationem, & ministrorum ecclesiasticorum alimoniam offerre, minimè in posterum si possessiones fideles haberent, fore diuendendas, sed quòd intactæ in ecclesiarum & episcoporum cõseruarietur dominio, vt inde presentibus & futuris ministris

stris & pauperibus ecclesia posset quæ ad victum & amicum esset necessaria prospicere. Quod consulis multis summis sacerdotibus fuit deliberatum atque decretum.

Extat eiusdem Urbani huius canonis singulare decretum, cuius hæc sunt verba: Videntes autem, inquit Urbanus I. summi sacerdotes & alij, atque leuitæ, & reliqui fideles plus utilitatis posse conferre si hæreditates & agros quos vendebant, ecclesijs quibus præsidebant episcopi, traderent, eò quòd ex sumptibus eorum tam presentibus, quàm futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum, cæperunt prædia & agros quos vendere solebant, matricibus ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ipsæ verò res in ditione singularum paræciarum episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus, è quibus episcopi & fideles dispensatores eorum omnibus comuni vita agere, degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur: ipsæ enim res fideiù oblationes appellantur, quæ à fidelibus Domino offeruntur. Memoratis ergò augmentationibus, in tantum ecclesiæ in quibus episcopi præsidet, Domino adminiculatore creuerunt, & in tantis maxima pars earum abundat rebus, vt nullus sit in eis communem vitam gerens, indigens: sed omnia necessaria ab episcopo, suisque ministris percipiat. Ideò si aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus qui hæc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur. Ex cuius


In 2. par. Decret. causa 12. questione 1.

Urbanus I. in epistola ad omnes episcopos.

institutum maximè confirmatur. Primò, Patres illos martyres sanctissimos Apostolis (quorum erant successores legitimi) vicinos decreuisse, ecclesiam possessionem hæreditatum, dominiorum, prædiorum, & aliarum rerum quæ Christiani offerebant, habere posse, habuisseque ecclesiam illius temporis possessiones & redditus atque dominia: deinde, bona illa ecclesiastica quæcunque essent, episcopi potestati & dominio fuisse tradita. Pòst, quamuis episcopus in sua potestate retineret Patribus ecclesiæ iudicantibus ita esse faciendum, non tamen idcirco illi licebat pro suo arbitrato aut libidine in suos, aut suorum filiorum, cognatorum, amicorum, vel domesticorum profunderè usus: sed vt ipso authore supremo consultis presbyteris & diaconis, per eorundem diaconorum ministeria in communem omnium Christianorum egentium contribuerentur alimoniam, ita vt nullus inter Christianos deprehendi posset, qui fame, aut alia miseria contabesceret. Mox ecclesiam illius sæculi prædiuitem & satis locupletem fuisse: quæ tamen tam vicina erat Apostolis, vt vix ducenti ab Apostolorum morte decursi essent anni. Fuit hic pontifex sanctissimus, præstantissimus ecclesiæ Dei vicarius, primarius præses, & vnicum caput. Quæ idcirco mihi hîc duxi subijcienda, ne vllus emergat cauillator, qui sua impudentia dicat corruptum & viciatum illud sæculum extitisse, cuius eximiam puritatem nûc admiramur & inuidemus.

CAPVT XI.

In quo ostenditur quando licet res ecclesiasticas alienare, & qua moderatione id fieri debeat.



ONSTAT apud omnes quanta proteruia & obstinatione heretici nostri temporis ecclesiasticos viros, & ecclesiam Romanam matrem nostram, & vnicam Christi sponsam suggillent, infament, & fictis criminibus apud populum grauent, obijcientes nimirum constantem illam omnium sanctorum sententiam scilicet, bona ecclesiae esse bona pauperum, quorum ecclesiasticos dicunt esse truculentos necatores, & alia quam plurima conuiciorum & probrorum plaustra, quae in nos iacere solent, quibus sane conantur ecclesiasticis viris, inuidiam conflare. His & plerisque alijs viris qui stulte sibi consulentes, nescio quo malo genio ducti, cum reliqua vniuersa alia hereticorum vti execranda maxime detestentur dogmata, hac tamen in causa illis plus nimio fauent, ita respondendum duximus. Non ignoramus Ambrosium in libro De officijs frequenter dixisse: Aurum habet ecclesia, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat necessitatibus: & Ornatus sacrorum redemptio captiuorum est. Et illud: Aurum sacramenta non quaerunt, neque auro placent, quae auro non emuntur. Et alia quam plurima eiusdem argumenti idem alibi non semel repetit. Scio item Hieronymum ad Nepotianum dixisse: Gloria episcopi est pauperum opibus prouidere, ignominia sacerdotis est, proprijs diuitijs studere. Idem de vita clericorum. Scimus omnes Theologos catholicos eundem Hieronymum de institutione monachi

Lib. 2. cap. 28.

chi ad Paulinum dixisse. Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, neque putavit se posse & virtutes & diuitias simul possidere. Nos suffarcinati auro, Christum pauperem sequimur. Scio etiam Augustinum dixisse, oblationes fidelium, pauperum esse reditus. Nec me latet illud Bernardi in tractatu de colloquio Simonis & Iesu: Sanè patrimonia pauperum sunt facultates ecclesiarum. Nec nos fugit quod dicit Chrysostomus: Pauperibus Christi debentur ornamenta altaris. Et sexcentas alias sententias, quas hæretici & sui fautores iactant, optimè nouimus, vidimus, atque pro dignitate expendimus: verùm quid inde? An ne quia non ita expenduntur, ideò principibus prophanis, episcopis erepta, sunt bona illa attribuenda, vt plures alere possint canes, equos pascere, sustententur parasiti? Minimè quidem. Sed tales rerum sacrarum sacrilegos prophanatores missos faciamus: ipsos enim diuino iudicio plectendos certò scimus: & proposito instituto respondeamus. Ratio quæ in primitiua ecclesia suadebat Patribus, & vt veriùs loquamur, ab illis exigebat, vt bona ecclesiarum, siue reditus essent, siue vasa sacra in pauperum vsus & subsidia, vel in quotidianam alimoniam interdum conflata expendere, hæc fuit. Erant quàm plurimi viri optimi & frequenter opulenti, qui Christi fidem & religionem constantissima animi deliberatione publicitus profitebantur. Cuius causa vel ab ipsis progenitoribus, qui Christi religionem execrabantur, proprijs ædibus animis acerbissimis abigebantur. Parentes vicissim annosi decrepita ætate quasi iam decursa,

curſa, ſimiliter à filijs cum grauiffima naturæ iniuria, quia fidem Chriſti amplectendam cōſtituerant, ſuis bonis nudati, deſerti expellebantur. Præterea Magiſtratus, Imperatores, Præſides; ac denique vniuerſi Gentiliſimi profeſſores tanta ac tam odioſa inſectatione Chriſtianos perſequebantur, vt nullum crudelitatis genus prætermiſerint, quod ad fideles Chriſti diuexandos aliquid momenti habiturum exiſtimarent, quod non in ipſos exercuerint. Proſcribebantur bona, rapiebantur ad carceres, mutilabātur manibus, truncabantur pedibus, membratim diſcerpebantur, ac denique igni, ferro, & cruce miſerandis cladibus afficiebantur. Horum quàm plurimi tyrannorum fugientes rabiem & furorem ad eas ſe conferebant ciuitates, in quibus epiſcoporum protectione & authoritate tutati, ſecurius licebat vitam tranſigere. Horum interdum tanta confluebat ſimul multitudo, vt in vna ciuitate Orientali Conſtantinopoli vicina, Nicea dicta, plura quàm decem millia exulantium propter Chriſtū inuenta fuerint. Ad cuius ciuitatis præbyterum Calliopolium Aticus Conſtantinopolitanus pontifex, vir ſanctitate, & doctrina per vniuerſas illas Orientales regiones celebris, teſte Nicepho-
 ro Calisto, trecentos coronatos in illorum pauperum ſubſidium miſit. Et Chryſoſtomus affirmat ad populum Antiochenum, quòd eccleſia vna ſola Antiochiæ ſuis prouentibus tria millia viduarū, & virginum ſuſtentabat. Præter illa beneficia quæ his, qui in ergaſtula tenebantur compacti, & in xendochijs laborantibus, & ſanis peregrinis, & habentibus corpora mutilata conferebantur. Quando igitur caſus dabat tantam fidelium multitudinem in vnum
 ad

Lib. 14. cap.

24.

Hom. 33.

ad aliquam ciuitatem confugisse, tunc temporis si alij diuites & opulenti fideles nō tam vberes nec tam liberales contribuerēt eleemosynas, vt suis fratribus sustentandis sufficerent, episcopus, cui Christus horum pauperum prouinciam obeūdā commisit, tenebatur ex officio in horum pauperum sustentationem quicquid haberet, conferre. Quōd si nec id necessitatibus sanctorum leuandis esset satis, bona ecclesiastica, quæcunque illa essent, consultis alijs presbyteris & viris ecclesiasticis, in hos sanctissimos vsus poterat ac debebat insumenda accipere. Nec tantū bona ruralia, vt sunt prædia, hæreditates, & agri, aliaque similia, verū & ipsa vasa sacra rebus diuinis peragendis consecrata, ac vestes etiam sanctæ, quibus ministri & templa fidelium solebant exornari. Hac præuia obseruatione facilè quisquis intelligere poterit, qua mente sit intelligenda sententia Chryso-stomi, scilicet ornamenta ecclesiæ debētur pauperibus, & cuncta alia quæ ad hunc modum de bonis ecclesiasticis prædicarunt & scripserunt Patres illi ecclesiæ doctores. Et nostro hoc sæculo non video sanè quo pacto episcopi nostræ ætatis Deo in extremo iudicio hoc ipsis exprobranti respondere poterunt, qui cū non multitudinem, sed numerum satis exiguum hominum propter Christi religionem ac fidei confessionem exules, proscriptos, & planè nudos videant incerta sede vagari, panemque vitæ sustentandæ vilissima & miserabilissima mendicatione quærere, ipsi nihilominus nulla commiseratione tanguntur, nec eorū fortè miserantes vel semel ad se eos vocant, nec vllam pietatis, aut condolentiæ eis demōstrationem faciunt. Tales Christi pauperes vidi ego non tam frequentes

quentes (quod nostram damnat auaritiam, & cordis duritiam) Anglos, & Gallos, atque Germanos Louanij, Tornaci, Brugis, Antuerpiæ, & alibi, quorum vix erat qui eorum misereretur. Placet autem hinc quando occasio id exigere videtur, si non tam honorificum perinde ac eius dignitas, & amplissima sua merita postulant, saltem aliquam commemorationem facere cuiusdam feminae viduae Anglæ, quæ huic sancto ministerio quasi vna ex illis quæ Christum sequebantur, ut illi necessaria de suis facultatibus suppeditarent, nostro seculo sese consecrauit. Hæc vocatur Dormar, quæ cum in Angliâ clarissimis natalibus esset orta, cum illic inter illius regni proceres honestissimum obtinuisset locum, abundeque sibi esset prospectum de prouentibus annuis, quibus splendorem & illustris suæ nobilitatis gloriam sustinere posset, cumque filios haberet & filias nobilissimis matrimonijs collocatos, ditiones, dominia, seruos, familiamque splendidissimam, cuncta hæc quæ mundus admirari solet, excelsi animi generositate est aspernata, & illius regni incola noluit esse, in quo Christo, nec suæ sponsæ ecclesiæ Romanæ integrum non erat agere. Verum cum Christo inde expulso & in exilium per nefarios homines misso, ipsa voluit expelli & exulari. Nec soli natiui dulcedo, nec vitæ transigendæ commoditas (quæ ipsi illic erat maxima) nec natorum, & nepotum speciosissimus aspectus, nec horum viuus & ardens affectus, nec reginæ (quod nobiles magnificere solent) gratia & fauor, nec exilij tristis & molestus incolatus, nec exterarum gentium dura tractatio, nec inedia timor, aut alia mundi vel carnis difficultas illi obstitit, quo minus Christum exulem comitare-

comitaretur, & quasi virgo sanctissima cum Christo fugiens Herodis furorem in Ægypto exularet. Agit hæc fœmina princeps Louanij, vbi omnem quam potest (potest autem maximam) pauperibus clericis Anglicanis exhibet gratiam. Semper enim eius mensa aliquorum piorum sacerdotum præsentia decorata existit: neque id semel in septimana aut in die, sed bis quotidie in cœna & in prandio: illos veneratur, colit, & obseruat: ipsorum sanctis precibus sese commendat, & ipsos ipsa vicissim in suis commendatos habet: illic omnes pro sua regina Elizabetha quotidie lachrymas, suspiria, & gemitus mittunt, quatenus Deus optimus, qui totius bonitatis est author, qui que regum corda in sua habet potestate, dignetur illi mentem bonã inspirare, nouumque cor in eius creare visceribus, ac spiritum rectum in suis renouare præcordijs: rogat etiam vt tandem filiorum quos habet in Anglia, misereri dignetur. Quibus sanctissimis studijs & iugi oratione vitæ curriculum (fœliciùs quàm sua regina) in exilio trãfigit. Habuit hæc sancta vidua fratrem, qui Carthusianorum profitebatur institutum. Cuius animi fortitudinem cum Henricus octauus rex Anglorum in suam sententiã nullavi inflectere, nec vllis promissis neque illecebris allicere posset, cum alijs 18. suspèdio propter Christi fidem assertam affectis, in cælos gloriosus Christi martyr conscendit. Habent Comites de feria vnde exultabundi latentur, quibus tanta contigit fœlicitas, vt auiam tam sanctã & auunculum Christi martyrem Laurentio illustrissimi præsentis Comitissæ de feria filio Deus optimus ac maximus dederit. Parem profectò laudem admiranda cuiusdam alterius viri nobilis

nobilis Anglicani virtus meretur, qui propter Christum proprijs sedibus derelictis, extorris exulat. Is alios fratres exules Anglos suæ nobilitatis ac dignitatis (quæ quondam apud reginam illam Mariam gloriosæ memoriæ Philippi Hispaniarum regis vxorem maxima fuit) oblitus inuisit, solatur, & quæ in ipsorum potest vltro confert subsidium. Huic ecclesia nomen dedit Inguilfidus. Horum duorum & aliorum Anglorum, quorum nomina non tenemus memoria, pectora non fragrare, sed charitate ardere (si videres) diceres. Beatam profectò patriam illam dixissem, quæ plantas illas tam succulentas & luculentas produxisset, nisi huius fœlicitatis beatitudinem, in miserandam calamitatem & funestam sortem malignus spiritus conuertisset, dum in exilium suggestit mittendas eas fœminas, & viros quos Deus optimus cū principib⁹ populi sui est collocaturus. Non exulāt Christi nobiles dum inter catholicos agunt: exularent sanè si inter suos adhuc agerent: quia illic exilium esse putant, vbi virtutibus diuinis & Christo non est locus.

Pro talium & similium pauperum causa licet episcopis res ecclesiasticas alienare, ac debet, quod luculenter satis definitum inuenient apud Ambrosium, qui eius rei cognoscendæ desiderio tenentur.

Est etiam alia causa, ratione cuius res ecclesiasticæ distrahi sacri & Apostolici patiuntur canones, scilicet pro captiuorum redemptione. Hanc causam idoneam fecit sanctus ille pontifex Romanus Deus dedit, sexagesimus nonus à Petro, qui illius sedis fastigium conscendit anno post Christum natum sexcentesimo decimo octauo. Cuius ea de re talis extat de-

Lib. 2. de offic. cap. 28. &

Decret. 2. part. caus. 12. quest. 1. Aurum habet ecclesia.

In 2. par. Dec. caus. 12. quest. 2.

finitio, scilicet Apostolicos & paternos canones renouans hæc sancta & venerabilis synodus definit, neminem prorsus episcopum vendere, vel vtcunque alienare ciuilia & vasa sacrata, excepta causa olim ab antiquis canonibus ordinata, videlicet pro redemptione captiuorum: sed non tradere salaria ecclesiarum in emphyteotica pacta, nec alias rusticas possessiones venundare, ac per hoc ecclesiasticos redditus ledere, quos ad propriam vtilitatem, & ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse decernimus. Et paulo post: Quisquis autem post hanc definitionem nostram contrarium quid huic sanctæ sedi, ac vniuersali synodo agere tentauerit, deponatur vt præuaricator diuinarum rerum & præceptorum, cassata videlicet quæ facta est in scriptis, vel sine scriptis ab episcopo venditione vel emphyteotica traditione, vel alia qualibet alienatione ciuiliorum & salariorum locorum. Qui verò ceperit, aut emerit aliquid ex prædictis ciuilijs vel salarijs, & non restituerit ecclesiæ iterum, quæ ecclesiæ sunt, vel non reddiderit ad incidendum chartam venditionis vel emphyteoseos, sit anathema, vsque dum fecerit quod ab hac sancta & vniuersali synodo confirmatum est. Hæc ex Deus-dedit definitis ad episcopum Mediolanensem.

Epist. 35. seu cap. 199. lib. 6. Gregorius ad episcopum Messanum eandem sententiã confirmat. Et sacrorum canonum & legalia statuta permittunt ministeria ecclesiæ pro captiuorum esse redemptione vendenda. Et ad Demetrium & Valerianum clericos Firmanos idem Pater Gregorius ea de re ita statuit: Sacrorum canonum statuta & legalis permittit autoritas licitè res ecclesiasticas in redem-

redemptionē captiuorū impendi, & ideo quia edocti à vobis sumus ante annos fere decē & octo, Fauuū episcopum ecclesiæ Firmanæ vndecim libras argenti de eadem ecclesia pro redemptione vestra ac patris vestri Passiui fratris & coëpiscopi nostri, tūc verò clerici, nec non matris vestræ hostibus impendisse, atque ex hoc quādam formidinem vos habere, ne hoc quod datum est, à vobis quolibet tempore repetatur, huius præcepti autoritate suspicionem vestram præuidimus auferendam, constituentes nullam vos exinde, hæredesque vestros quolibet tempore repetitionis molestiam sustinere, nec à quoquam vobis aliquā obijci quæstionē. Quando altera ex his duabus causis vrgeret, tunc temporis integrum esset episcopis, ecclesiasticis viris res ecclesiasticas in eos usus, quos sacri denotant canones, distrahere, ea tamē moderatione adhibita, quā pontifex summus Deus dedit decreuit adhibendam, scilicet, non esse tradenda salaria ecclesiarum in emphyteotica pacta, nec alias rusticas possessiones fore vendendas, nec lædendos ecclesiasticos redditus, quos in vtilitatem propriam, & pauperum escam, peregrinorumque subuentionem esse designatos, omnes ecclesiæ Patres statuerunt. Iustissima & sanctissima fuit hæc constitutio: nam si absolutè omnia bona ecclesiastica essent diuendenda, ecclesijsque eripienda pro captiuis redimendis, bone Deus, quàm miserabilis & obscura præsentis ecclesiæ nostræ facies conspiceretur! nam bonis ecclesiæ semel distractis, nec vnde ecclesiæ ministri viuerent, nec erigendis templis, nec solandis pauperibus, aut vnde peregrinis subueniretur esset reliquum, ruerentque planè tēpla, nec essent mini-

stri qui in sacris seruirent ministerijs; ac ita penitus religio, quod infernus, aut sui filij infernales heretici ac sui fautores diligēter procurāt. Verūm nō sic impij, non sic, sed tanquā puluis quē proijcit ventus à facie terræ, vos per Christi ventilabrum proijciemini in infernum à facie Dei, proijcienturque simul vestri fautores, vestra semina, quamuis inter filios Dei nunc occulti agant.

Placet cum his modò agere, qui ecclesiæ suas invident opes, quibus ipsi haud dubiè (quod dissimulare minimè aut ægrè possunt) sitibundi & hiantes insidiantur. Demus vobis res ecclesiasticas in captiuorum redemptionem distrahendas. Amabo, dic sodes, vbi bona quæ nunc ecclesia retinet, & magno suo iure possidet, essent diuendita, & in captiuorum redemptionem data, idque adeò vt nihil prorsus ecclesiæ esset reliquum: si iterum hostes Christianismi denovo alios caperent Christianos, quibus bonis essent in libertatem asserendi? vestris ne? Sed hoc non erit vobis integrum, qui fortiùs & ardentius amatis auripallorem; splendoremque argenti, quàm omnes ecclesiastici: continuò clamaretis, Vnde igitur familiam, dignitatem, prolesque ea quam à maioribus accepimus honestate sustentabimus? Et alià quàm plurima quæ tales inuidi, & rerum ecclesiasticarum osiores, suarumque amatores in medium proferre solēt, quando apud ipsos de eleemosynis elargiendis à sacris Christi præconibus fit commemoratio. Desināt igitur ecclesiæ maledicere ac peius velle, siquidem ipsius sunt filij, in ipsa per Christi sacratissimum sanguinem in Dei filios sunt adoptati.

Verūm dicturos arbitror alios adhuc (quos veriùs

rius refractarios, & blaterones dicemus) quàm ipsi
 id Christi præconibus obijciunt, bona ecclesiastica
 episcoporum, abbatum, & aliorum sacerdotum bo-
 na sunt pauperum, pauperibus igitur dentur, abba-
 tibus & sacerdotibus eripiantur. Obtinuerunt hoc
 hæretici Germani in multis Germaniæ superioris
 prouincijs, & quorundam Principum ditionibus,
 etiam Angli in suo regno, vt scilicet euersis templis,
 vel in sordidas officinas mutatis, pulsis sacerdotibus,
 suisque sedibus ac dignitatibus exactis, bona illorū,
 possessiones scilicet, hæreditates, prædia, redditus, at-
 que alios quàm plurimos prouentus Principibus
 hæresiarchæ, nempe Lutherus, Philippus Melantho,
 Brentius, Caluinus, & alij scelesti & facinorosi filij
 diaboli, & infernalis gloriæ sordida mæcipia, Princi-
 pibus, quorū venabatur gratiam, & fauorē, adiudica-
 runt. Retinent Principes Germani bona illa ecclesia-
 stica, & quieto quamuis malo animo, possident ta-
 men. Rogo autem ipsos nobis significant quotus il-
 lorum sit, qui xenodochium erexerit, in quo bona il-
 la ecclesiæ, & ecclesiasticis viris erepta, pauperibus
 Christi contribuuntur. Nec vnicum poterunt ipsi
 proferre, qui hoc fecerit, cum nobis facile liceat o-
 stendere consilio horum hæreticorum, tam sunt pij,
 plura quàm sexcēta xenodochia suorum Principum
 authoritate euersa, direpta, atque suis bonis spoliata
 fuisse. Sed non est præsentis instituti latiùs negotiū
 istud prosequi, alibi forsan Deo dante, hac de re tra-
 ctabimus. Nunc satis fuerit demonstrasse, quibus de
 causis bona ecclesiæ pauperibus sint distribuenda, &
 qua moderatione, quæ omnia sacrorum canonum
 authoritate communita pijs & eruditis viris per-

pendenda declarauimus.

CAPVT XII.

In quo ostenditur quàm antiquum & vetustum sit ius, quo ecclesia bona etiam immobilia possidet: Et quòd Patres Apostolis vicini hanc rerum possessionem non ausi fuerint ecclesia adimere: sed contra inuasores conati fuerint grauissimis pœnis spiritualibus & corporalibus inflictis defendere.



NON est ab heri & nudius tertius, quo ecclesia res temporales possidet, sed ab ipsa Apostolorum ætate: discipuli enim Petri, qui ei à spiritu sancto suffecti fuerunt, decreuerunt ecclesiam fore dominam eorum bonorum, quæ fideles ipsi obtulissent. Quæ ubi semel à fidelibus essent collata, pontifices qui ecclesiæ sunt spõsi, singulari zelo atque studio defendebat. Quod vel ex sententia Anacleti Romani pontificis constat, qui epistola prima ita dixit: Qui abstulerit patri aut matri aliquid, dicetque hoc peccatum non esse, homicidij particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: mater verò nostra ecclesia est, quæ nos in baptismo regenerauit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, vel fraudat, homicida est. Fuit hic sanctissimus pontifex Anacletus quintus à Petro, qui supremum ministerium sacerdotij ecclesiæ Dei gessit anno octuagesimo quarto, tunc temporis hanc pronunciauit sententiam. Vnde est notandum, quòd ea ætate ecclesia bona à fidelibus oblata retenta possidebat. Estque etiam notandum, quòd elemosynas

2. par. Decret.
caus. 12. quest.
2.

mosynas vocat Anacletus pecunias Christi. Quia iuxta Chrysoftomum ad Olympiadem diaconissam pecuniæ elemosynis destinatæ diuini iuris iam sunt factæ, desieruntque eorum esse, qui illas in ecclesiæ, & pauperum vsus contulerunt, exindeque pauperum alimonix & necessitatibus leuandis Christi sententia sunt adiudicatæ. Cùm autem episcopus ex Christi diuina institutione factus sit pauperum pater, protector & procurator, eorum etiã pecuniæ in eius sint redigendæ potestatem, vt eas disponat, atque bonâ fide dispenset. Sanctus etiam Gelasius, qui quinquagesimus à Petro ecclesiæ vniuersalis pontifex fuit, cuius vita sedem Petri anno post Christum natum quadringentesimo nonagesimo quarto illustrauit, talem in huius causæ confirmationem nobis cõditum reliquit canonem, scribens ad Iustinum archidiaconum & Faustinum defensorem: Vobis enim, inquit, & famæ vestræ consulendum duximus, vt pontificis vestri loco nobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui eius nomine pariter vniuersa disponat, quatenus omnia prædia ad vestrum reuocetis studium, nec cuiquam clerico pro portione sua aliquantulum ecclesiæ putetis esse depurandum, ne per incuriam & negligentiam minuetur: sed omnem pensionis summã ex omnibus prædijs rusticis, vrbanisque collectam ad antistitem deferatis, &c. Symmachus etiam quinquagesimus secundus à Petro Romanorum, & vniuersalis ecclesiæ pontifex ea de re ita definiuit in synodo. Nõ liceat papæ prædiũ ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in vsufructũ rura dare, nisi tantummodo domos, quæ in quibuslibet vrbibus non modica impensa sustentantur, quæ lege

Cap. 4.

omnes custodes astringantur, vt donator, accensator, venditor honorem perdat, & qui subscripserit, anathema sit cum eo qui dedit, vel qui recepit, nisi restituantur: liceat etiam quibuslibet ecclesiasticis personis contradicere, & cum fructibus alienata reponere, quod non solummodò in Apostolica est seruandum ecclesia, verum etiam vniuersis ecclesijs per prouincias quidem dicitur id conuenire. Eadem sententia confirmata est in synodo Romana 6. Iulij duo bus verustior sanctus ille martyr Urbanus 1. qui anno à Christo nato ducentesimo vigesimo quarto ecclesiam Christi gubernadam suscepit, qui- que decimus octauus fuit à Petro vniuersalis pontifex. Is ad omnes episcopos scribens reddidit causam, quare prædita ab ecclesia modò non alienentur. quibus sic loquitur: Videntes autem summi sacerdotes, & alij atque leuita, & reliqui fideles plus vtilitatis posse conferre, si hereditates & agros quos vendebant, ecclesijs quibus præsidebant, episcopi traderent, eò quòd ex sumptibus eorum ita presentibus quam futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio ipsorum ceperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus ecclesijs tradere, & ex sumptibus earum vivere: ipsæ verò res in ditio- ne singularum paruarum episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus, è quibus episcopi & fideles dispensatores eorum omnibus communi vita degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent prout melius potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur, &c. Quæ hoc nostrum propo-
situm

situm maximè confirmant. Vetustissima est igitur hæc institutio & à sanctissimis & martyribus pontificibus stabilita, vt ecclesia diuitias habeat, retineat, & possideat. Purum & impollutum erat illud sæculum, quando sanctissimi illi Patres concordī & communi sententia præfidenti Spiritu sancto iudicarunt ecclesiam posse ac debere retinere prædia & alias diuitias, quas hæretici nostri temporis illi inuident, & eripere conantur.

Portò autem si quisquam sit tam refractarius & blatero, cui hæc quæ diximus tametsi summam apud omnes pios authoritatem obtineant, non sint satis, velitque reclamare ecclesiam primitiuam prædia nō retinuisse nec possedisse, sed diuenditarum possessionum pretia ab Apostolis oblata fuisse, à fidelibus, nec occupatos vnquam Apostolos fuisse in his prædijs gubernandis aut administrandis, vel retinendis. Audiant qui hæc impudentiùs & audaciùs quàm iustiùs & opportuniùs oblaterant, Miltiadem sanctum virum & Christi martyrem, trigessimum tertium vicarium Petri, qui post Christum natum anno trecentesimo vndecimo floruit. Is in suis sanctis decretis huic quæstioni ita respondit: Futuram ecclesiam Apostoli in Gentibus præuidebāt, idcirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti: sed pretia tantum ad fouendos egentes. At verò cum inter turbines & aduersa mundi succresceret ecclesia, ad hoc vsque peruenit, vt non solum Gentes, sed etiam Romani Principes, qui totius orbis monarchiã tenebant, ad fidem Christi & baptismi sacramenta cōcurrerēt, è quib⁹ vir religiosissimus Imperator Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, dedit licentiam per vniuersum

orbem suo degētibus imperio, non solū fieri Christianos, sed etiam fabricandi ecclesias & prædia constituit tribuenda. Denique idem præfatus Princeps donaria in mensa contulit, & fabricam templi primæ sedis beati Petri instituit, ad eò vt sedem imperialem relinqueret, & beato Petro, successoribusque suis profuturam concederet. Idem verò præsidens sanctæ synodo, quæ apud Nicæam congregata est, cū querelam quorundam clericorum conspiceret coram se defendendam, ait: Vos à nemine iudicari potestis, qui solius Dei iudicio reseruamini, Dij etenim vocati estis, & idcirco non potestis ab hominibus iudicari. Eum apud quem nihil authoritatis huius sanctissimi pontificis sententia obtinuerit, oportet alteram saltem in medium proferre, cuius certitudinem & veritatem reuerentes cogamur illi, hac nostra deserti, cedere: sed non poterunt id præstare hæretici, neque blaterones, quorum animus quamuis male suadus in eorum inclinatur fauorem. Apud se igitur constituent viri catholici pij, & pietatis amatores, Apostolicam esse traditionem, quòd ecclesia loculos habeat pronentis, redditus, & alia quàm plurima quæ ad rem spectant, pro ecclesiarum ministris sustentandis, alendis pauperibus, iuuandis miseris, fouendis egenis, ac denique excipiendis peregrinis. Pro certo & sciant, horum bonorum primariam & supremam dispositionem ad episcopum, presbyteros, diaconosque & ad alios viros ecclesiasticos, non ad sæculares spectare. Neque bene de illis sentiant viri, qui hanc prouinciam inuadere, & ecclesiasticis viris adimere, in suamque potestatem redigere tentauerint.

LIBER III.

IN QVO TRACTANTVR CAVSÆ,

QVÆ HÆRETICIS NOSTRÆ ÆTATIS
 suaserint administrationē eleemosynarū auferen-
 dam esse ecclesiasticis viris, & sæcularibus dādā,
 confutantur etiā aliquot propositiones hæreticæ
 duorum libellorum, quorum alterius titulus est,
 De subuentione pauperum, alterius verò De con-
 tinendis, & alendis domi pauperibus.

CAPVT PRIMVM.

*In quo ostenditur qui priores fuerint pauperum fuga-
 tores, & iudicauerint eos à communi ciuium conui-
 etu expellendos.*



BENIGNI qui miseras humanas
 surda aurē præteribant; quiq̄ue ita
 rem publicam constituendam arbi-
 trabantur, vt nihil nisi splendidum,
 pulchrum aut excellens conspicere-
 tur, pauperes calamitosos, miseros,
 sed magis vlcerosos fastidiebāt, atq̄ue eorum pus, sa-
 niem, situm, pedorem, vilesq̄ue & protritas vestes ex-
 horrentes, vti sordes & platearum, & domorum pu-
 tidas feces (horrendum dictu) suis ciuitatibus eicien-
 dos statuebant. Hinc est quòd Plató in suā repub.
 nullum admittendum iudicabat ciuem, cuius fortu-
 na non esset opulenta & fœlix. Mendicare illic ne-
 mini vlla ratione licebat. Idem etiam fecisse legimus
 olim Massiliensium, & Atheniensium Magistratus.
 Cautum fuit etiam apud Romanos, ne vllus vsquam

in



in sua ciuitate uideretur mendicus : sed quantum aduersentur hæc leges humanæ diuinis Christi præceptis, qui paulò attentius hoc in libris sacris considerauerit, deprehendet facilè. Christus autem diuinus legislator cùm de republica Christiana cõstituenda adhuc uiuens præcepta traderet, ubi cunctis ciuibus, nempe potentioribus, mediocribus, & alijs etiã inferioris ordinis hominibus leges in cunctis suæ vitæ actionibus seruandas condidisset, pauperum etiã eam habuit rationem, quæ illis commoditatis & ualentibus meriti æterni comparandi materia existeret: siquidem horum genus hominum miseratus, eos tãmeti mendicos ac pauperes homines conuiuio excipi à ditioribus iusserit, tantum abest ut è ciuitatibus eiciendos ullam legem dederit. Iussit item hos homines mendicos hospitio suscipiendos, visitãdos, atque vestiendos & pascendos, si peregrini, aut uinculis constricti, vel nuditate ac fame si macerati existerent. Non enim de eis domi continendis, vel de interdicens ipsi mendicitate ullas leges dedit: quin amplissimis & diuinis promissionibus ditiores ad mendicorum commiserationem ac beneuolentiam studuit excitare. Porrò autẽ cùm inferius latiùs hæc sint nobis tractanda, consultò materiam hanc prætereundam duximus, & institutum propositum in principio huius capituli ulterius deducamus.

Post Platonem, Romanos, Athenienses, & Massilienses Ioannes Vuicleps ex gente Bohemica, nefarius hæreticus, primus inter hæreticos ausus fuit mendicitatem damnare, cuius damnationem falsis & fictitijs rationibus nisus (si posset) constabilire. Huius impietatis uenenum ex eius scriptis esuxit Lutherus, siquidem

siquidem in suis exorbitationibus dixit: Tollantur
 sacci mendicitatis: & hunc sunt imitati vniuersi alij
 hæretici eius maledictæ soboles. Constanti enim sen-
 tentia omnes hæretici mendicitatem accusant, dam-
 nant, sed non conuincunt. Nimirū, nam cum in ani-
 mis suis Lutherus, Melanthon, Brentius, & Calui-
 nus, & vniuersi alij hæretici, expulso inde Christo, lo-
 cum sathanæ vtrò dederint, in eiusque gratiam &
 obsequium Christum, sponsam eius ecclesiam, sacra-
 menta, euangelia, fidemque, & pleraque alia nostræ
 religionis catholicæ dogmata nefaria impietate con-
 temperint, nihil est mirandum si pauperes Christi,
 qui eius personam sustinent, qui que Christi sunt ve-
 ræ & viuæ imagines, ac vera membra fastidientes aut
 horrentes veluti feras septis recludi, aut ab humano
 conuictu tanquam peripsetmata iudicent & doceant
 fore proijciendos. His mirificè quadrat Daudica il-
 la exprobratio: Fiat habitatio illorum deserta, & in *psal. 68.*
 habitaculis eorum non sit qui inhabitet: quoniam
 quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolo-
 rem vulnerum meorum addiderunt. Solet Deus
 interdum ita punire pauperum oppressores, vt sci-
 licet proprijs domicilijs exigat, qui pauperes ciuitati-
 bus suis exclusos volunt.

CAPVT

In quo ostenditur, quæ causa hereticos compulerit ad descendendum curam pauperum ad prophanos, non ad sacros homines spectare.



RINCIPIO cùm heretici deliberata & communi sententia diabolico furore arrepti apud se constituerent se quædum esse in legitimos Dei filios, propria atque materna domo eijciendos, inferendos autem filios carnales ancillæ, anxie rimabantur quæ ratione hos alere, & illos miseranda inedia necare possent: nullum suis votis potiundis ipsis visum fuit opportunius remedium, nec præsentius, quàm si bona illa, prouentus scilicet annuos, quos maiores nostri (vt erant pij & sancti) alendis catholicis pauperibus reliquerant, in eorum qui ante Baal genua essent flexuri, alimoniam conuerterent. Atqui cùm id propria auctoritate obtinere minimè possent, viderentque negotium arduum & graue futurum populis, eorū præsertim posteris qui vltima animi sententia legata illa pauperibus alendis instituerant largienda, senatus fauorem & auctoritatem sibi pro curato negotio conciliare sunt conati. Quod vt faciliùs assequerentur, hanc prærogatiuam, quam veriùs ministerium dixissem, cœperunt apud populum clamare, non ecclesiasticis viris, sed Magistratibus prophanis incumbere obeūdam: Magistratus autem aliquot qui limitibus vllis suam potestatem sepiri minimè patiuntur, quin de ea amplificanda semper sunt solliciti, vltro potestatem oblatam temeritate inaudita ecclesiæ ademptam

ptam, & ipsis attributam, quæ antea in ecclesiasticis ministerium erat, amplexatur, sibi que deberi quamuis iniquo iure defendit, ac retinet. Sed ne ex primatibus, aut inferioris ordinis hominibus aliqui emergerent, qui huic insultui sacrilego aduersarentur, reclamantes non ita esse faciendum, decreuerunt hæretici debacchari in clerum, & ipsum rapinarum, rapacitatis, malæ fidei, & aliorum deteriorum criminum apud populum insimulare: ac tandem suis maledictis & conuicijs grauissimam inuidiam catholicis ministris ecclesiasticis conflare. Cùm tandem magistrales & populares animos peruersos hæretici in suam induxissent sententiam, tunc demum cœperunt rem intentatam in opus perducere, Principibus impunè res ecclesiarum, xenodochiorum, ac pauperum inuadere, ac sibi vèdicare permittunt, ministros ecclesiæ pauperie, & nuditate, alijsque tristissimis angustijs maceratos in funestum mittunt exilium, pauperibus res legatarias adimunt, & diuitum eleemosynas in sua conuertunt abliguriendas priuata commoda. Quòd autem res ita se habeat, deprehendet facilè, qui vniuersas sectarias superioris Germaniæ ciuitates, villas, & pagos perlustrauerit. Nam nulla ab eo tempore quo quinti Euangelij execrationem ex inferno Martinus Lutherus attulit, erecta fuerunt, cùm tamen quàm plurima & pulcherrima, opulentissimaque euerfa fuerint, & direpta xenodochia. Magna quidem iniuria suorum maiorum, pauperum singulari incommodo, & aperta rerum alienarum inuasionem, quam iniquissima deformat vsurpationis alieni retentio. Quos prouentus Angli, Galli, & Heluetij illi qui fidem Christi abnegarunt, xenodochijs ademe-

ademerint quàm amplas diuitias , viderint ipsi qui talium rapinarum , nephariorum insultuum, aliqua commiseratione tacti diligentes fuerunt obseruatores: dabunt haud dubiè pœnas ij qui hæc grauissima quidem designarunt scelera: qui etiam iustissima de causa dicendi sunt, & reuera sunt habendi pauperum Christi osores, ac necatores: rerum^y verò sacrarũ prophanatores sacrilegi. Iamque cùm voti potiti fuerint, prouentus Christi pauperibus sustentandis legatis suis & diaboli pauperibus alendis ablatos adiudicauerunt, ita tamen vt maiorem & præcipuam partem canes, equi, parasiti, & bibaces decoquant homines. Si res ita se habeat, nec ne, illorum permitto iudicio, qui candore Christiano id negotij paulò attentius contemplati fuerint. Esse autem quàm plurimos qui id contemplantur, ac doleant, non est quò dubitant rerum sacrarum violatores. Tacent tyrannorum timentes furorem, spectantes tamen Deum ciuitatum nostrarum aliquando miserturum.

Non igitur obscuram edunt demonstrationem fauoris & applausus erga Lutheranismum, & Ethnicismum senatus, qui hoc institutum de tollenda mendicitate, ac de continendis, & alendis domi pauperibus non modò approbant, sed suscipiunt & executioni vt mandetur, procurant.

*In quo tractatur altera causa, qua aliquot Magistratus
persuasi de pauperibus recludendis deliberant.*



SENATUS qui Lutheranismò vel
Ethnicismò secretò fauent (hi enim
primi pauperes horrere ac fastidire
cœperunt) cùm apertè ecclesiam in-
uadere non audeant, vt qui populū,
vel Principes catholicos, qui religio-
nem catholicam profitentur, vereantur: occultè tamē
& clam insidias ecclesiæ dignitati, & eius rebus pa-
rant. Cuperent senatores in suam potestatem rerum
ecclesiasticarum dominium & possessionem redige-
re: vellent etiam ipsi ecclesiasticos viros nihil ipsis
inconsultis expendere, & eorum quæ spenderen-
tur, ipsis rationes subductas in sua domo ciuica red-
di. At verò cùm hoc imperare iure non possint, &
violentia intentare vereantur, ne Principis, & popu-
li catholici iustissimam indignationem in se conci-
tent, industria & arte id obtinere contédunt, sensim-
que iuris humani falcē in ecclesiasticas segetes, quas
diuina authoritas sacerdotibus tantum metendas at-
que colligendas commisit, extendere nituntur. Et vt
facilius id assequantur, in eam partem primò irruere
tentant, quam infirmiore, & insultui sustinendo
minus idoneam arbitrantur. Ad diuinas segetes per-
tinent bonorum pauperum possessio, dispositio, &
administratio: cupiunt Magistratus sibi cōstare quo-
ta & quanta sit ea pars prouentuum & reddituum an-
nuorum, qui pauperibus alendis bonorum fidelium
religiosa pietas legauit, volunt eam in suam redigere

K

potesta-

potestatem, & illis bonis colligendis ac retinendis virum aliquē pro suo arbitratu eligere, qui sæcularis sit, & omnium bonorum pauperum, & eleemosynarum absolutus possessor: vult etiam senatus pauperum delectum per suos ministros fieri, illosque alendos tantum eligere, quos ipsi probauerint, alios verò reijcere, qui sibi eo beneficio indigni reputabuntur. Volunt etiam ipsi per suos tantum ministros bona fidelium & eleemosynas pro sua libidine dispensare, disponere atque elargiri. Ipsi denique volunt viros ecclesiasticos planè ut infideles ministros, eoque munere indignos reijcere, & domum ciuicam ecclesiam, & senatores viros quatenus ad eam partem spectat, ecclesiasticos facere: vel saltem volunt in domo ciuica tribunal erigere, in quo fidelibus rerum ecclesiasticarum quæ pauperes concernunt, ius dicatur: à sacerdotibus hoc tantum seruitij habere volunt, ut ipsi in suis concionibus, in alijsque sacris ministerijs, quando opportunitas dabitur; suum apud populum decretum commendent, extollant, & plenis buccis magnificè decantent, populumque ad eleemosynas faciendas oppidò exhortentur & accendant, quas ipsi colligant, possideant, & quando voluerint, & quibus voluerint, dispensent. Cæterum sacerdotibus nihil volunt curæ relinquere, ut qui fures sint, & sub prætextu missarum bona illa pauperum in rem suam conuertent, satis est illis prospectum, non egent pluribus. Libenter enim ex ijs rogarem, sicuti prædicationem & eleemosynarum exhortationes sacerdotibus attribuunt, quare non item eleemosynarum distributionem & largitionem, quare non item pauperum delectum? Velint igitur ipsos rogo, politiam ecclesiasticam intemeratam relinque-

relinquere, quam Christus, Apostoli, & sui successores ita stabilitam ad nos transmiserunt, vel si hanc violare & truncare præsumunt, ipsi etiam senatus eligant viros ex suo ordine, qui populum ad eleemosynas faciendas exhortentur: in sua etiam domo ciuica truncos colligendis eleemosynis constituent, vt tandem omnia ad se deuoluant. Verùm satius esset, & religiosius facerent (quod ex diuino tenentur iure) si res nouitias non molirentur, vetustatem laude, & veneratione dignissimam suspicerent; & admirarentur: in re tam graui non licet Magistratui quantumuis máximo quicquam immutare, vel pro suo arbitratu constituere, præsertim quando diuini & ecclesiastici iuris audax intercedit violatio ordinis ecclesiastici, manifesta iniuria, & materia scandali exoritur præsentissima. Sunt enim quàm plurimi prudentia, religione, ac dignitate in ciuitatibus viri clari sæculares, non ecclesiastici quidem; quibus hæc nouitas vsque adeò improbatur, vt dicant hanc primam aliquot viros pulchrè hoc prætextu pietatis in pauperes & politicæ obseruandæ in ciuitate exornatam anam arripere velle, vt demùm facilius sit postea ipsis aditus ad plerasque alias res ecclesiasticas intadendas, in suamque potestatem redigendas, vt denique sicut ipsi Magistratus pauperum, & suarum rerum dominum iam gestiunt obrinere, vbi iam id nacti fuerint, mox ecclesiasticorum virorum & rerum ecclesiasticarum facilius imperium assequatur. Consulerent tamē viris honestis & pijs vt eam religionem profiterentur & colerent, eamque in negotio pauperum politicam æconomiam obseruarent, quam maiores illi nostri (quorum admirabilem pietatem vnam imitemur omnes) ad nos transmiserunt,

miserunt. Hoc sanè nullis contradictionibus esset expositum institutum, vtpotè quod vetusta & laudatissima confirmaret antiquitas, quæ apud viros graues in negocijs arduis & publicis multum semper obtinuit ponderis, & apud nos tantundem saltem, si non plus, obtinere debet.

CAPVT IIII.

In quo refutatur sententia cuiusdam libelli, qui continet Apostolos curam pauperum tanquam se indignam repudiasse.



ANNO 1526. æditus fuit libellus quidam Brugis à viro quodam non mediocriter erudito, cuius titulus est, De subuentione pauperum, qui nouitatibus his excitandis fomentum præstitit. In quo propositiones aliquot continentur non vsque adeò sanæ & integræ, quin aliquam corruptionem pestiferam spirent. Quarum in medium vnâ aut alteram confutandam proferam, vt ij qui suis nouitatibus fulciendis inde fundamentum mendicant, deprehendant, quàm præposterum eorum sit studium & vanum, timeantque eius certam ruinam. Prima igitur propositio est: Olim quidem cum adhuc ferueret sanguis Christi, omnes proieciabant opes suas ad pedes Apostolorum, vt ipsi iuxta necessitatem vniuscuiusque distribuerent. Eam curam deinceps repudiarunt Apostoli tanquam se indignam: quippe decebat magis eos concionari, docere Euangelium, quàm pecunijs corrogandis vel erogandis occupari. Itaque id munus diaconis mandatum, ne isti quidem retinuerunt diu, tantum erat
studium

studium docendi, euehendi pietatem, properandi ad æterna illa bona per pulchram mortē. Itaque de collectitia pecunia prophanis ex Christianismo egenis suppeditabant quod cuique erat opus. Hæc author illius libelli De subuentione pauperum. Prima sententia indigna est certè pectore Christiano & mente literis sacris informata, & erudita: nã quid posset vnquam dici in Apostolos grauius, quàm quòd illi pauperum curam tanquam se indignam repudiauerint? Non ita res se habet: sed cùm credentium multitudo indies ex continuis hominum accessionibus magis ac magis glisceret, essentque Apostoli intenti tum vt animas verbo, tum etiam vt pauperum corpora terreno sustentarent nutrimento, cùm vtrumque munus commodè præstare non possent, re secum consultata deliberarunt viros graues pietate, fide, & religione spectabiles, qui etiam ab his qui foris erant, bonum haberent testimonium, eligere, quibus prouinciam illam sanctam ac piam curandi scilicet quæ pauperibus Christianis vsui essent futura, commendarent. Idque non quia pauperum curam vti se indignam repudiandam, abijciendamque iudicauerint: sed quia cùm vtrique muneri commodè satisfacere ob multitudinem fidelium non possent, statuerunt sibi partiendam illam prouinciam, vt ipsi ministerio verbi, & orationi vacantes alij septē diaconi sibi subcēturiantur in reficiendis atque suppeditandis pauperibus Christianis vitæ humanæ necessarijs. Non tamen proinde est destinandum, Apostolos ita pauperum miseras & calamitates obliuioni tradidisse, quasi ad eos illud officiũ non spectaret, sed elegerunt septem illos viros pietate commēdatos, qui ex Apo-

K 3

stolorum.

Ad Gal. cap. 2.

stolorum decreto & dispositione cuncta illa peragerent officia, quæ alendis pauperibus Christianissimi necessaria ipsis viderentur. Retinebant Apostoli apud se eius rei primariam authoritatem, adeò vt diaconi nihil Apostolis incòsultis circa illud ministerium vnquam ausi fuerint abolere, aut commutare. Quod vt credamus, facit non nostri iudicij deliberata sententia, sed scripturæ sacræ incomparabilis & diuina authoritas. Extat apud Paulum huius rei ab Spiritu sancto vltima sententia, qui sic ait: Cùm cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, vt nos in Gentes, ipsi autem in Circuncisionem: tantùm vt pauperum memores essemus: quòd etiã sollicitus fui hoc ipsum facere. Falsum igitur est affirmare, quòd Apostoli curam pauperum tanquam se indignam repudiatam diaconis tradiderint: Apostolus erat Cephas, erat Apostolus Ioãnes, Iacobus Apostolatus prerogatiua fulgebat. Paul⁹ itè audet, & nõ temerè, affirmare de se: Qui operatus est Petro in Apostolatũ Circũcisionis, operatus est & mihi inter Gentes: omnes denique erant Apostoli, & datis dextris, constitutaque inter ipsos diuina & firmissima amicitia, partiuntur orbẽ, quatenus ad prædicationis attinet ministerium: at verò pauperum curam omnibus communem esse volunt: siue pauperes sint Gentiles, curet Petrus, curet Ioannes, curet item & Iacobus: quòd si Iudæi fuerint egentes, hos fouendos & alendos suscipiat & amplectatur Paulus: cùm tamen hic in Gentes, Petrus autem in Circuncisionem datus fuerit Apostolus. Grauißima fit iniuria Apostolico ordini, cùm falsa

falsa & temeritate inconsulta dicitur, quòd prouin-
ciam illam, quam Christus religiosissimè obeundam
ipsis commisisset, de pauperibus curandis, vti perso-
nis Apostolicis indignam reiecerint & repudiaue-
rint, diaconorumque humeris imposuerint. Erant e-
lecti septem diaconi illi multò antequam Paulus pa-
ctum hoc de communi pauperum cura suscipienda
icuisset cum Cepha, Ioanne, & Iacobo. Quod testa-
tum nobis reliquit Lucas in actis Apostolicis, vbi *Cap. 6.*
refert Apostolos de constituendis illis septem diaco-
nis deliberasse, qui dum ipsi prædicarent, viduis &
reliquis alijs Christianis indigentibus ministrarent: *Cap. 8.*
& alibi refert Paulum grauissima insectatione per-
sequutum fuisse Christianos. Ac tandem eiusdã Pau-
li narrat admirabilem conuersionem. Atqui tametsi *Cap. 9.*
septem illi diaconi erant electi, Apostoli de pauperi-
bus curandis consultant & deliberant. Paulusque
magnus Gentium Apostolus sollicitum se fuisse af-
firmat in hoc pauperum negotio curando. Non repu-
diauerat Paulus curam pauperum tanquam se indi-
gnam, quando Galatiæ, Achaia, Macedonia, & Co-
rinthi leges fidelibus condidit, quibus sese gererent
in eleemosynis colligendis, & pauperibus largiendis.
In prima epistola ad Corinth. ita literis proditum no-
bis reliquit: De collectis autem quæ fiunt in sanctos *Cap. 16.*
sicut ordinavi ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite: per
vnam sabbathi vnusquisque vestrũ apud se seponat,
recondens quod ei bene placuerit, vt non cùm ve-
nero, tunc collectæ fiant. Nec permittit Paulus Co-
rinthijs vt ipsi mittant pecunias collectas ad se: sed
eorum requisito cõsilio penes se eius missionis vult
residere authoritatem: Cùm autem, inquit, ibidem;

Rom. 15. præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram, id est, eleemosynā à vobis factā in Hierusalē. Non repudiauit Paul^o curam pauperū tanquam se indignam, quando ipsemet proficiscebatur in Hierusalē ministrare sanctis, id est, pauperib^o. Nūc igitur proficiscor in Hierusalē ministrare sanctis. Probauerūt enim Macedonia & Achaia collationē aliquā facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalē. Non tantū occupabatur Paulus in cōcionādo & docēdo Euangelio: sed etiā in corrogādis & erogandis pecunijs pauperibus, vtpotē quòd sciebat illud etiam munus ad Euangelicos viros spectare. Intellexit Paulus multo meliùs quàm Ludouicus Viues, quid decebat, quod item inde decebat Apostolicos viros. Decebat eos concionari & docere Euangelium, sed etiam decebat eos ad suos successores in corrogandis & erogandis pecunijs in pauperum alimoniam occupari. Cui non satisfaciunt loci superiùs inducti, legat alterā epist. ad Corinth. legat item acta Apostolorum, & deprehendet quanto studio, quanto feruore, solitudine & cura Paulus pauperum negotia gesserit, cū tamen secum haberet diaconos. Non possum satis admirari qua audacia vel præsumptione viri qui vix in sua professione literaria vltimū fastigium conscenderunt, audeant de rebus scripturæ sacre contentis tam liberè, si non temerè, dicere, finire, & statuere. Discant igitur eam reuerentiam diuinis scripturis exhibere, quam verbum Dei requirit: & iuxta consilium Pauli spiritualia negotia hominibus spiritualibus tractanda permittant.

Quod postea in eodem libello De subuentione pauperum continetur scilicet, Itaque id munus diaconis

Cap. 8. & 9.

conis mandatum, ne isti quidem retinuerunt diu, indignum est quod aliquo studio à nobis confutetur, vtpotè quòd nulla auctoritate scripturæ sacræ, vel alicuius ecclesiasticæ historiæ, vel ecclesiæ doctoris sententia sit communitum: est enim sola scriptoris libidine pronunciata sententia, quam scriptura sacra, ecclesiasticæ historiæ, sacri canones, & Patres ecclesiæ lumina destruunt & confutant, tantum abest vt sit vera. Ostendit author illius libelli se plus temporis insumpsisse in prophanis authoribus euoluendis ac tractandis, quàm in literarum sacrarum vel historiarum ecclesiasticarum, vel conciliorum & decretorum pontificum studio & lectionibus impendisse. Testantur sacri canones diaconos semper in ecclesia functos hoc munere fuisse præter alia sacra ministeria, quæ circa altare & sacrificia ipsis obeunda incumbant. Proinde non possum satis admirari tantum sibi homines priuatos tribuere, vt rem diuinis institutis atque scripturis sacris prorsus aduersantem pro certa & vera scribere, typisque traditam in lucem audeant emittere.

Est etiam alia sententia planè perniciosa, & qua ecclesiæ dignitatem insigni afficit iniuria: hanc placet hic referre: Hospitalia voco ubi agri aluntur, & curantur, & ubi certus inopum numerus sustentatur, & ubi pueri ac puella educantur, & ubi expositi infantes nutriuntur, & ubi mente capti continentur, & ubi cæci degunt. Hæc omnia sciant rectores ciuitatis ad curam suam pertinere.

Hæc sententia est pronunciata solo ex placito sui authoris, estque planè diuinis scripturis, & sacris canonibus aduersa. Sed multò aliter Patres illi qui in

Rom. 15. præſens fuero, quos probaueritis per epistolâs, hos mittam perferre gratiam vestram, id est, eleemosynâ à vobis factâ in Hierusalé. Non repudiauit Paul⁹ curam pauperû tanquam se indignam, quando ipsemet proficiscebatur in Hierusalé ministrare sanctis, id est, pauperib⁹. Nûc igitur proficiscor in Hierusalé ministrare sanctis. Probauerûnt enim Macedonia & Achaia collationē aliquâ facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalé. Non tantùm occupabatur Paulus in concionâdo & docēdo Euangelio: sed etiâ in corrogâdis & erogandis pecunijs pauperibus, vtpotè quòd sciebat illud etiam munus ad Euangelicos viros spectare. Intellexit Paulus multo meliùs quàm Ludouicus Viues, quid decebat, quod item inde decebat Apostolicos viros. Decebat eos concionari & docere Euangelium, sed etiam decebat eos ad suos successores in corrogandis & erogandis pecunijs in pauperum alimoniam occupari. Cui non satisfaciunt loci superiùs inducti, legat alterâ epist. ad Corinth. legat item acta Apostolorum, & deprehendet quanto studio, quanto feruore, sollicitudine & cura Paulus pauperum negotia gesserit, cùm tamen secum haberet diaconos. Non possum satis admirari qua audacia vel præsumptione viri qui vix in sua professione literaria vltimû fastigium conscenderunt, audeant de rebus scripturæ sacræ contentis tam liberè, si non temerè, dicere, finire, & statuere. Discant igitur eam reuerentiam diuinis scripturis exhibere, quam verbum Dei requirit: & iuxta consilium Pauli spiritualia negotia hominibus spiritualibus tractanda permittant.

Quod postea in eodem libello De subuentione pauperum continetur scilicet, Itaque id munus diaconis

conis mandatum, ne isti quidem retinuerunt diu, indignum est quod aliquo studio à nobis confutetur, vtpotè quòd nulla authoritate scripturæ sacræ, vel alicuius ecclesiasticæ historiæ, vel ecclesiæ doctoris sententia sit communitum: est enim sola scriptoris libidine pronunciata sententia, quam scriptura sacræ, ecclesiasticæ historiæ, sacri canones, & Patres ecclesiæ lumina destruunt & confutant, tantum abest vt sit vera. Ostendit author illius libelli se plus temporis insumpsisse in prophanis authoribus euoluendis ac tractandis, quàm in literarum sacrarum vel historiarum ecclesiasticarum, vel conciliorum & decretorum pontificum studio & lectionibus impendisse. Testantur sacri canones diaconos semper in ecclesia functos hoc munere fuisse præter alia sacra ministeria, quæ circa altare & sacrificia ipsis obeunda incumbant. Proinde non possum satis admirari tantum sibi homines priuatos tribuere, vt rem diuinis institutis atque scripturis sacris prorsus aduersantem pro certa & vera scribere, typisque traditam in lucem audeant emittere.

Est etiam alia sententia planè perniciosa, & quæ ecclesiæ dignitatem insigni afficit iniuria: hanc placet hic referre: Hospitalia voco ubi aegri aluntur, & curantur, & ubi certus inopum numerus sustentatur, & ubi pueri ac puella educantur, & ubi expositi infantes nutriuntur, & ubi mente capti continentur, & ubi cæci degunt. Hac omnia sciant rectores ciuitatis ad curam suam pertinere.

Hæc sententia est pronunciata solo ex placito sui authoris, estque planè diuinis scripturis, & sacris canonibus aduersa. Sed multò aliter Patres illi qui in

secundo concilio Matisconensi conuenerant, iudica-
 runt esse tenendum vbi matura & grauis ab illis su-
 per ea re habita esset deliberatio. Horum Patrum ta-
CAN. 12. lis fuit definitio. Quid autem scriptura diuina de vi-
 duis & pupillis præcipiat nobis clam nõ est, ideoque
 quia prouisioni nostræ (Deo authore) causæ princi-
 paliter viduarum & pupillorum sunt commissæ, de-
 cernimus vt iudices non prius viduas & pupillos cõ-
 ueniant, nisi episcopo nunciarint, cuius sub velamine
 degunt: quòd si episcopus præsens non fuerit, archi-
 diaconus & presbyter pariter sedètes, communi de-
 liberatione causis eorum terminos figant, ita iustè &
 rectè vt deinceps de talibus antedictæ personæ non
 conquassentur: quòd si quis iudex aut impeditor eis
 iniuriam aliquam ingesserit, aut hanc definitionem
 transgressus fuerit, à communione suspendatur. Vti-
 nam magistratum ac senatorum nostræ ætatis tanta
 esset pietas, religio & in ecclesiam, ecclesiasticosque
 viros reuerentia, vt (quod quidem debent) sine vlla
 controuersia aut morositate hanc prærogatiuam ec-
 clesiæ pastoribus supremis diuinitus datam ipsi co-
 gnoscerent, & ita perinde ac diuinam excellentiam in
 episcopis præminentem reuererentur. Intactam pro-
 fectò episcoporum amplissimam relinquerēt digni-
 tatem, nec de illa conculcanda tam anxie cogitarent.
 Vellent senatus aliquot episcopos tam sibi esse sub-
 iectos, vt in ciuitatibus nihil ipsis, senatu inconsulto,
 & eius licètia prius habita, in animarum negotio in-
 tentare liceat. Quàm sit hoc impium, quàm sit ini-
 quum, & senatoribus catholicis indignum, ipsi iudi-
 cent, qui pietate, eruditione, & dogmatum sacrorum
 cognitione animos habent informatos. Statuerunt

Patres

Patres in illo concilio, cuius superius meminimus, nullos iudices debere viduarum, aut pupillorum causas iudicandas ad se prouocare, nisi prius eas ad episcopos remisissent, in suis tribunalibus definiendas. Est etiam notandum, quod Patres qui illo sæculo puro ac defecatissimo ecclesiam gubernabant, pronuntiarunt diuinitus illustrati & sacrarum scripturarum testimonijs suffulti, suæ prouisioni sacra scriptura præcipienti, & Deo authore viduarum & pupillorum causas esse commissas. Estque etiam aduertendum tanto zelo & studio hæc prouinciam Patres ecclesiæ fuisse tutatos vt iudicibus Christianis prophanis leges seruandas præscripserint, quas Imperatores, Reges, Principes, & senatus singulari religione obseruandas susceperunt, tãrùm abest vt de dignitate pontificia conculcanda quidquam cogitauerint, aut de sua authoritate minuenda aliquid statuerint. Amabant equidem Magistratus ecclesiam; venerabantur suam diuinam dignitatem, reuerabantur tandem vt patrem, pastorem & expiatorem episcopum. Erant obsequentes filij, morigeræ oues, nec gestiebant in pastores suos insurgere, & illos sua prouincia adempta procul pellere.

Milchiades papa ante millesimum ac ducentessimum annum ita respondit authori illius, quam confutamus, propositionis: Deceuit sancta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotijs sæcularibus se immiscere, nisi propter curam aut pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum, aut si fortè episcopus ciuitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem eum habere præcipiat. Vbi patet quod alia sunt negotia sæcularia, & alia ecclesiastica.

*Hoc habetur
in privilegio
Constantini.*

*Decret. 1. part.
distinct. 87.*

stica. Nōne Moyses in sæculo erat, cū crebrò intraret tabernaculum & exiret, qui intus contemplatione rapiebatur, foris infirmantium negotio vrgebatur? Sed & Iacob ascendentes & descendentes angelos vidit: quia rectores ecclesiarum non solū cōtemplando ascendunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt, & dum sacerdotes eorum facta imitantur, & se custodiunt, & subditorum onera portant. Et in quarto concilio Toletano fuit hic canon editus De expositis: Si expositus ante ecclesiam cuiuscunque sit miseratione collectus, cōtestationis ponatur epistola, vt si is qui collectus est, intra decem dies quæsitus agnitusque non fuerit, securus habeat qui collegit. Sanè qui post prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas. Falsa est igitur & erronea illa assertio, quæ docet: Hæc omnia sciant rectores ciuitatis ad suam curam pertinere. Nō legerat sacros canones, nec prodignitate sacrarum scripturarum diuina oracula discusserat, qui illius doctrinæ extitit author. Platonis, & Aristotelis doctrinam tantū cū hac de re sibi fuit scribendum, secutus est author illius libelli De subuentione pauperum. Nam si scripturam sacram vel sacros canones inde profluentes in suis consilijs adhibuisset, haud dubiè multò aliter decreuisset negotium istud constituendum. Nec iudicasset prætereundos esse viros ecclesiasticos, in negotio cuius exequutio minimè quidem bonis auibus auspicari posset, si eorum negligatur auctoritas & dignitas. Quibus diuina Christi dispositio harum rerum primariam commisit sollicitudinem.

Sequitur

Sequitur in libello De subuentione pauperum: *Nemo de legibus conditorum causificetur: inuolata perdurabunt, verba in his expendenda non sunt: sed æquitas, ut in contractibus bonæ fidei, & voluntas, ut in testamentis, de qua dubium non est, quin ea fuerit, ut in usus quàm fieri posset optimos relicta à se facultates distribuerentur, & dignissimo consumerentur loco, per quos, aut quemadmodum fieret, non tam solliciti quàm ut fieret.*

Eruditi viri admirabuntur planè hanc sententiã, quæ docet non esse expendenda verba conditorum in his legatis, sed equitatẽ: sanè æquitas testamẽtorum non enim alia ratione inuestigari potest, quàm si testamenti verba expendantur, in quibus verbis testamenti æquitas, & testatoris voluntas inuoluta continetur. Ultima enim testatoris definitio æquam fecit, vel iniquam legati causam. Sed prorsus est absurdum, & contra leges tam humanas quàm diuinas affirmare, in exequutione testamentorum non esse attendenda verba testatoris, sed æquitatẽ, cùm hæc ex testatoris verbis sit inuestiganda atque inuenienda. Nam si ea fuisset mens testatoris, ut quæ testamẽto à se derelicta pauperibus cõdidit largiẽda, in usus quàm fieri posset optimos distribuerẽtur iuxta placitũ Magistratus, aut senatus, vana profectò & superflua esset expressa illa facultatum, quæ pauperibus relinquuntur, dispositio. Siquidem satis esset pecuniarum cumulum aliquem in beneficium pauperum assignatũ relinquere, iuxta iudicium & sententiam senatus disponendum, non tamen opus esset exprimere ac sigillatim declarare tot ac tales pauperes, & tali ratione victus, & tam diu nutriantur, nec vllas conditiones obseruandas.

uandas præstituerent. Quod si sit verum, necessum est omnia testamenta antiquari, ac penitus quæ ecclesijs, pauperibus, bonis viris, orphanis, pupillis, ac viduis, & xenodochijs sunt legata, aboleri, & dum æquitas à senatū requiritur, senatus mortuorum legata in usus qui sibi opportuniore videbuntur, expendet, ac pro suo arbitratu de ciuium fortunis, quod volet, statuet. Hincque hæud dubiè necessum est etiam, vt corruat morientium pietas, religio & charitas. Nemo enim libenter patietur, vt sua bona quæ, vt suæ animæ profint, filijs adempta, pauperibus testamento legauit, senatus pro suo arbitratu quibus volet, & quando volet, dispenset atque distribuatur. Nec id tantum, verum quàm plurimi morientes suis votis fraudarentur: solet enim plerunque contingere, vt ægrotantes mortis instantis horrore concussi ad eorum bonorum accendantur restitutionem, quæ viuentes auidè & iniuste retinuerunt. Qui consultis suis expiatoribus, eo loco, & illis personis, aut eorum filijs restitutionem fieri testamento condiderunt, quibus se ob raptum teneri conscientia reclamante pro certo sciebant. Quod si senatus bona illa inde & illis personis ablata, quibus ex iure debebantur, alijs pro sua libidine impartiretur, quàm tuta conscientia id æquitatis ratione illata facere posset? Hoc esset planè quibusdam eripere quæ alijs tibi essent largienda, furarique, vt ex furto eleemosynas posses elargiri. Estque planè fando inauditum, vt mortuorum vltima sententia nullius sit futura momenti, si senatus intercedat authoritas aut libitum. Sed cū quantum impietatis & iniusticiæ in se comprehensum hæc contineat sententia, viderint illi qui eruditione, rerum agenda-

rum

rum prudentia, & iudicio in ciuitatibus pollent, qui-
 que legum vim & virtutem exploratam habent. Est
 illa propositio seditiosa & tumultuaria, & quæ sacris
 pontificum aduersatur decretis. Nam Gregorius ad Lib. 3. epist. 9.
 Ianuarium Carolitanum episcopum scribens, ita eū
 de testamentis agens exhortabatur: Admonere te vo-
 lumus, ne piæ defunctorum voluntates tua (quod
 absit) remissione cassentur. Gregorius etiã vir tã pie-
 tate quàm doctrina celebris, cuius suprema in eccle- Decret. 2. par.
 sia refulsit authoritas multò aliter de pijs defuncto- causa 16. que-
 rum voluntatibus iudicauit quàm author libelli De sione 1.
 subuentione pauperum. Senatus ac singuli Christia-
 ni tenentur doctrinam Gregorij suscipere ac reuere-
 ri, multò magis quàm placita alterius priuati viri, vt
 qui, ille ecclesiæ vniuersalis caput verum extiterit, sa-
 crarumque literarum ornamentis eximiè decoratus,
 & fidelibus ea tradebat quæ in schola Christi didice-
 rat, non quæ in academia Platonis, vel Aristotelis
 gymnasio audierat. Gregorius docebat quæ Spiritus
 sanctus dabat, priuatus ille homo ea dictauit quæ
 Plato Athenis ipsum docuit. Verùm quòd testatoris
 arbitrium debeat obseruari, probat Gelasius Petri
 vicarius, vir incomparabilis pietatis, & Apostolorū
 temporibus vicinus: qui cùm sibi ex officio veram
 doctrinam fidelibus instituendis tradere & pronun-
 ciare incumberet, ea de re sic definiuit: Consideratio
 ecclesiasticæ vnitatis hoc postulat, ex iusta dispositio-
 ne testatoris seruandum arbitrium esse. Multò aliter
 hic sanctissimus pontifex quàm Ludouicus noster,
 qui audet contra hunc sacrum canonem docere: Ne- Decret. 2. par.
 mo de legibus conditorum causificetur: inuiolatæ in causa 16. que-
 his perdurabunt: verba in his expendenda non sunt, sione 1.
 sed

sed æquitas. & alia quæ sequuntur planè licentia summa, nulla tamen ratione nec authoritate suffulta dicta. Candidus animus ac pius viderit, cuius doctrina & authoritas dignior sit, quam ipse amplectendam & profitendam eligat, eam ne quam viri sancti, pij & eruditissimi, legitimiq; Christi & Petri vicarij, pastoresque ecclesiæ vniuersalis docti à Spiritu sancto pronunciauerunt, an eam, quam vir priuatus in politioribus tantùm eruditus, Platonico & Aristotelico spiritu afflatus, suo tantùm cerebro consulto, nulla in suæ sententiæ confirmationem authoritate adducta, ausus fuit credendam Christianissimo senatui Bruggensi scripto proponere tam absoluto decreto, perinde ac si diuina ex suo pectore oracula profluerent. Est sanè detestanda hæc præsumptio & indignissima, quam vllus in suo pectore Christianus admittat.

Sequitur in 2. libello De subuentione pauperum:

Deinde nihil est in vrbe tam liberum, quod non subditum sit cognitioni eorum per quos administratur Respublica. Neque enim libertas est communibus Magistratibus non subijci, & parere: sed incitamentum ferocitatis & ansa licentiæ effusæ in quodcunque animo fuerit collibitum.

Multò aliter Nicolaus Petri vicarius ab Apostolis, & suis institutus successoribus graui & matura super ea re habita deliberatione definiuit quàm noster hic legislator. Siquidem hic pontifex ecclesiæ vniuersalis supremus in terris pater & pastor, in epistola quam ad Michaëlem Imperatorem scripsit, ita discrete libertatem ecclesiasticam in ciuitatibus catholicis ab imperio Magistratus prophanis: Cùm ad ve-

rum, inquit, ventum est, vltra sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus sic actibus proprijs & dignitatib⁹ distinctis officia potestatis vtriusq; discreuit propria, volẽs medicinali humilitate hominũ corda sursum efferri, nõ humana superbia rursus in infernũ demergi: & vt Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent: & pontifices pro cursu tẽporalium tantũmodò rerum Imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incurfibus: & Deo militans minime se negocijs sæcularibus implicaret, ac vicissim ne ille rebus diuinis præsidere videretur qui esset sæcularibus negocijs implicatus: Idem etiam Imperator Michaëli & alijs vniuersis Magistratibus dixit: Imperium vestrum suis reipub. quotidianis administrationibus debet esse contentum, non vsurpare quæ sacerdotibus Domini solũ conueniunt. Gregorius autem Nazianzenus, cuius eximia sanctitas, & admiranda doctrina in vniuersa celebratur ecclesia, scribens ad Imperatores Constantinopolitanos ita loquitur: Suscipitis ne libertatem verbi? libenter accipitis: quod lex Christi sacerdotali vos subijcit potestati, atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim & nobis potestatem: dedit & principatũ multò perfectiorem principatibus vestris. Aut nunquid iustum vobis videtur, si cedat spiritus carni, si à terrenis celestia superentur, & si diuinis præferantur humana? Ecce quod cõstitutiones Principum ecclesiasticis legibus postponendæ sunt: vbi autem Euangelicis atque canonicis decretis non obuiauerint, omni reuerentiã dignè

*Nicolai I. ad
Michaëlem.*

*Decret. I. par.
distinct. 10.*

- habeantur. hæc Nazianzenus. Consulto præterea il-
 lam Christi sententiam per Matthæum pronuncia-
 tam, scilicet: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, &
 quæ sunt Dei, Deo. Et alteram ab eodem Euangeli-
 sta Matthæo relatam scilicet, quando Christus dixit
 suis discipulis de primatus dignitate secum conten-
 dentibus: Scitis quia principes gentium dominan-
 tur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent
 in eos: non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit
 inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui volue-
 rit inter vos primus esse, erit vester seruus. Quibus
 scripturis subnixi omnes patres ecclesiæ constanti &
 cõcordi sententia ab Apostolorum inde ætate statue-
 runt discrimen esse à Christo constitutum inter pro-
 phanam & sacram Magistratus potestatem. Quod
 discrimen eius est conditionis, vt in corpora, ac cor-
 poralia bona prophanis Magistratibus omnimodam
 (serua tamen æquitatis ratione) authoritatẽ Chri-
 stus præstiterit: in animas autem & ea quæ animam
 concernunt, supremam & absolutam etiam idẽ Chri-
 stus sacris magistratibus concesserit, idque adeo vt
 nullo pacto ecclesiasticam potestatem (quæ altera pro-
 phana multo est sublimior & excellẽtior) alicui ter-
 renæ subiectam esse voluerit, tantum abest vt sit ve-
 rum quod Ludouicus ausus est tam absoluta & effu-
 sa sententia cum de rebus mortuorum, pauperum
 que ageret, & xenodochiorum, pronunciare, nempe:
 Nihil est in ciuitate tam liberum, quod non subdi-
 tum sit cognitioni eorum, per quos administratur
 respub. Hoc planè est adulari, & ecclesiæ amplissimæ
 dignitati detrahere, nõ veritatis certitudinem (quod
 debent viri eruditi & pij) populis amplectendam se-
 quendam-

quendamque proponere. Cum author huius libelli de re tam graui esset dicturus, oportebat ipsum aliquod sacrorum librorum diuinum oraculum, vel ex sacris concilijs aliquod decretum, vel ex Patrum ecclesiae grauissimis monumentis aliquam sententiam adduxisse in sui placiti corroborationem. Nam velle sibi tantum tribui, vt in re tam graui suo tantum iudicio nos velit stare, praesumptuosum est & arrogantiae magnae euidentissimum argumentum. Hanc sententiam plane contra imperiales leges esse fabricatam ita probabo. Constantinus & Constans cognoscentes ecclesiam, viros ecclesiasticos, & ecclesiasticas res diuino iure suis legibus ac sua potestate esse exemptas, talem legem sua imperiali potestate munitam condiderunt: In qualibet ciuitate, in quolibet oppido vel vico, vel castello, vel municipio, quicumque voto Christianae religionis meritum eximia singularisque virtutis omnibus intinauerit, securitate perpetua potitur, gaudere eum & gloriari ex fide semper volumus, scientes magis religionibus quam officijs & labore corporis, vel sudore nostram rempub. contineri. Valentinianus quoque & Valens ad idem propositum decreuerunt dicentes: Vniuersos quos constituerit custodes ecclesiarum esse, & sanctorum locorum ac religionis obsequijs deseruire, attentationis nullam molestiam sustinere decernimus. Imperator autem Iustinianus, cuius vel apud summos iuris peritos maxima est autoritas, legem multo euidentiore condidit: Sancimus, inquit, res ad venerabiles ecclesias, vel xenones, vel monasteria, vel prochotrophia, vel brephotrophia, vel orphanotrophia, vel gerontocomia, vel si quod est aliud tale con-

Decret. 2. par.
caus. 23. q. 8.

Lib. 1. C. tit.
2. De sacrosan-
ctis ecclesie,
lectione 18.

Epist. 1. l. 7

Epist. 33.

*Decret. 2. par.
causa 23. que-
stione 8.*

fortium, discentes ex qualicunque curialis libertate, siue inter viuos, siue mortis causa, siue in vltimis voluntatibus habita, à lucratiuorum inscriptionibus liberatas esse & immunes: lege scilicet quæ super huiusmodi inscriptionibus posita est, in alijs quidem personis suum robur obtinente, in partem autem ecclesiasticam vel aliarum domuum, quæ huiusmodi pijs consortijs deputatæ sunt, suum vigorem pietatis intuitu mitigante. Constat etiam apud omnes viros doctos quid Gregorius epistola ad Sabinianum, & Ambrosius epistola ad Marcellinam sororem, & Urbanus papa senserint atque scripserint: docentes, ecclesiam, viros ecclesiasticos, & res ecclesiasticas immunes ac liberatas esse ab omni prophani Magistratus potestate. Nec existiment Christiani senatores, hanc immunitatem Imperatores ecclesiæ dedisse: verum intelligant, Imperatores cum de sacris doctrinis optimè essent instituti ac informati ab suis Apostolis, intellexisse, hanc libertatem & exemptionem diuinitus datam esse ecclesiæ, quam Imperatores Ethnici ac tyranni, vti Deo debitum cultum, ita & sponsæ suæ ecclesiæ illam negabant. Porro autem cum Christi religionem profiterentur, reddiderunt Cæsari quæ Cæsaris erant, dederuntque Deo quæ Dei sunt. Iustinianus omnium bonarum legum primarius conditor xenodochia & hospitalia, domosque alias vniuersas cum suis rebus, in quas pauperes Christi sese recipiunt, ad ecclesiam ait spectare, & ecclesiasticorum prælatorum cognitioni & iudicio esse subiectas, non eorum cognitioni subditas, per quos Respublica gubernatur, affirmat. Haussit hæud dubiè Viues illam doctrinam ex Platonis aut Aristotelis frontisterijs.

Christiani

Christiani Magistratus sacrarum scripturarum, sacrorumque canonum, conciliorum, doctorum & catholicorum Imperatorum doctrinas sequantur: Ethnicis Ethnicas Platonis & Aristotelis permittant traditiones, si Deo sua studia, officia, & rerum publicarum administrationem probari velint. Contrarium docere aut facere, est planè effusam licentiam sibi usurpare, & ferocitatis maximum incitamentum Magistratibus præstare, terminosque diuinitus ipsis adèd præstitutos magna audacia diuinaque constitutione violata transilire.

Sequitur in libello De subuentione pauperum l. i. i.
Nec aliquis potest eximere bona sua cura & imperio ciuitatis nisi simul ciuitatem exeat, quippe nec vitam potest eximere.

Inaudita est huius propositionis licentia. Siquidè homines qui ciuitatem constituunt, & ciues sunt honestis & ingenuis immunitatibus donandi, & à Magistratibus tuendi insigni afficiuntur iniuria, cum eis authoritate istius libelli leges præscribantur, quæ in mancipia potiùs quàm in honestos ciues conditæ esse videantur. Sunt enim ciues honesti & probi omnium bonarum legum, ac legislatorum authoritate, & fauore suarum rerum Domini absoluti constituti. Adèd vt, tãtis per dum Reipub. nullam adferunt perturbationem, nec vllum designant facinus, cuius causa respub. vel alter conciuus vel perturbetur, aut alicui exponatur graui vel minimo discrimini, aut aliquod aliud detrimentum patiatur, persolutis quæ iustè vel etiam iniustè exigerentur à Magistratibus, vectigalibus; de suis rebus, prout animo collibitum fuerit, statuere viuentes ac morientes possint. Et sicut

Magistratus in ciuitatis commodum leges condere possint, quibus custodiendis ciues vniuersi teneantur, ita ciues in suis ædibus circa suarum fortunarum dispositionem leges viuentes ac morientes condere poterunt, ac suis posteris illas religiosè seruādas præstituerent. Magistratus enim in republica & politica principatum tenet: verum in re œconomica & domestica ciuis paterfamilias principem personam sustinet, domique statuit quid velit fieri, & à suis domesticis circa suas res custodiri. Et vt ciuibus hæc authoritas in suis ædibus illæsa constet, magistratus ipsis suum patrociniū ac protectionem ex iure debet. Falsum est igitur, quod ciues morientes non possint bona sua curæ & imperio ciuitatis eximere, nec vitam. Cùm illa quibus visum fuerit, si filij non adsint, hæreditanda moribundi, aut curanda, vel dispensanda relinquere possint, & hæc nisi alicuius criminis nefaria patratiōe intercedente vel totius ciuitatis instanti ruina in magistratus potestatem venire minimè vnquā possint. Paulus dixit Magistratus nõ sine causa gladium portare: nimirum quia vindex est in eos qui malè agunt. Non promisit Paulus absolutam potestatem Magistratibus, vt promiscuè pro sua libidine in omnes mortales sæuirent. Nec illis datus est à Deo gladius in omnes absolutè, sed in eos tantum qui malè agunt. Licet igitur inferre, quod tantisper dum ciuis nihil mali agit, diuina constitutione suam vitam ac suas fortunas potestati, curæ, & magistratus imperio habet exemptas: possuntque ciues moribundi suis testamentis quibus volent, suorum bonorum dominium, curam & dispositionem, exclusa etiam Magistratus authoritate, relinquere.

Quòd

Quòd si quisquam sit tam audax, quòd ciuis vita defuncti vltimam voluntatem ac testamenti leges infringere aut violare tentet, Magistratus tunc temporis repetenda esset authoritas, cuius seueritate viuentes, ad mortui ciuis testamento conditas leges seruandas compellerētur: tantum abest vt sit verum, quòd ciues nec res suas, nec vitam imperio & Magistratus curæ eximere minimè possint. Secus est intelligendum, quando ciuitati aliquod graue imminet detrimentum, veluti si hosti cladem, direptionem, ciuium captiuitatem, & ciuitatis euersionem interminanti ac molienti nulla occurrendi affulgeat ratio. Tunc enim omnium ciuium tam virorum quàm fœminarum fortunas in eas calamitates redimendas paratas esse oportet. Adeò vt monilia, iocalia aurea vel argentea, gemmas quantumuis magni valoris, & cetera muliebria aut mascula preciosa ornamenta & domestica utensilia, quæ apud opulentos & prædiuites ciues magni pretij & valoris esse solent, in vltimum ciuium discrimen redimendum, in ciuitatibus quæ prudentum virorum consilijs gubernantur, reseruata esse soleant. Verùm vbi nullus talis exortus fuerit casus, quæ ratio postulat aut fert, vt in ciuium fortunas Magistratus imperium affectare possit? Magistratus tunc temporis tyrannum ageret, non gubernatorem. Perindeque se haberet ac illi, qui cum suæ protectioni orphanum commissum habeant, vt ipsum, suasque fortunas in libertatem asserant, ipsi rerum pupilli auidi & sitibundi orphano extincto, quæ defendere & protegere sua auctoritate debuerant, in sua conuertunt commodas, & potestatem trahunt. Habet illa sententiã fomentũ

seditionis, tumultus, & grauissimi scandali in se reclusum. Exempta sunt bona ciuium curæ & imperio ciuitatis quando exacta soluerint vectigalia, nullumque commiserint crimē, cuius culpa potestatem rerum suarum ipsis ciuibus ademptam in Magistratum transferat. Nec debent exire ciuitatem, sed eam incolere ciues morigeri qui ciuitatibus vsui semper fuerunt & ornamento.

Sequitur in 2. libello De subuentione pauperū. *Ergo harum omnium domorum (id est hospitalium) singulas bini senatores cum scriba aliquo uisunt ac scrutentur, prouentus perscribant, atque eorum numerum, ac nomina, qui ibi sustentantur, simul quisque ratione illuc peruenerit. Hæc omnia ad Consules & Senatum perferantur in curiam.*

Non possum non grauer ferre hominem priuatum, præsertim catholicum, tantum sibi detulisse, ut reipublicæ Christianæ leges ethnica seruandas præscribere ausus fuerit. Vehementer mihi superior probaretur sententia, si ciuitas illa cui hæc sententia proposita fuit, Christiana non esset, sed ethnica. Nec possum me satis continere, quin Theologos qui tunc temporis res spirituales in ciuitatibus administrabant, fœcordiæ & turpissimi silentij insimulem. Qui sanè ex officio tenebantur reclamasse contra huius libelli pestiferam doctrinam, cum eius author adhuc superstes esset. Ecclesiasticorum damnata conniuentia factum est, ut Magistratus prophanus in locum sanctum, in resque sacras suam auctoritatem extendere præsumat, audeatque in loco sancto tribunal erigere. Dabunt haud dubiè pœnas illi Theologi, & illi pastores qui suis commodis & priuatis honoribus inhiantes

inhiantes nihil curant, si suus honor inuiolatus ecclesie seruetur. Dabunt Deo acres & eternas poenas, illi praesertim qui suam quietem tantum amant, ut eius conseruandae causa ecclesie sponsae Christi causas fluctuari, & varijs procellis agitari permittant. Esset illis profecto reclamandum: Non est catholici viri sententia, Bini senatores cum scriba aliquo visant ac scrutentur singulas domos hospitales: non est tribunalis prophanum, prouentus hospitalium perscribere, ac numerum & nomina eorum qui ibi sustentantur, simulque cognoscere qua quisque ratione illuc peruenerit. Haereticum est plane docere, Haec omnia ad Consules & Senatores perferantur in curiam. Ad episcopum vel eius pastores & ad alios ecclesie ministros haec omnia munera pertinent: episcoporum interest hospitales inuisere domos: pauperum inspectio est eorum officij: prouentuum hospitalium rationes ac dispositiones ad ipsum spectant: ad magistratus spirituales & ecclesiasticos haec omnia sunt perferenda in ecclesiam, non ad Consules ac Senatores prophanos in curiam. Nec potest aliter fieri, quin male sentiant de dignitate & potestate pontificia & ecclesiastica Consules vel Senatores, qui admoniti per viros sacros haec ministeria ad ipsos non spectare, sed ad ecclesiasticos, vel ad eos viros, quibus ex ecclesiasticorum permissione ea prouincia demandata fuerit, adhuc praesumpserint eam sibi usurpare. Boni ac religiosi Consul ac Senatoris est, pati se doceri ab ecclesiasticis viris, ac petere quo pacto dignitatem sui tribunalis in antiquo suo splendore continere possit, tamen illaesa amplitudine & maiestate tribunalis ecclesiastici. Non decreui con-

futare superiorem sententiam, vt quæ priuati tantum viri autoritate vel placito sit suffulta, nullo tamen scripturæ sacræ, vel concilij, aut alicuius ecclesiæ doctoris suffragio corroborata. A nobis catholicis sunt milliū & quingentorū annorū antiquitas, & cōmunis omnium Christianorum, qui à Christo nato ecclesiæ gubernacula direxerunt, concors sententia, & sacrorum canonum & diuinarum legum sanctissima constitutio. Nec vllum vnquam literis proditum Senatum legimus, nec vllos vnquam Cōsules scimus tantum audaciæ sibi vsquam gentium vendicasse, vt eam prouinciam ad se trahendam duxerint, quam Ludouici præsumptio Magistratibus prophanis cum graui iniuria ecclesiasticorum, sua tantum autoritate tribuit. Nisi eos Consules & Senatores vel Magistratus nobis obijcias, qui annis ab hinc quadraginta antiqua & catholica religione abnegata, Lutheranismi exorbitationes ausi sunt profiteri. Audacia est igitur non doctrina, quam superius ex libello De subuentione pauperum, viris bonis expendendam ac fugiendam proposuimus.

Sequitur in 2. libello De subuentione pauperum.
*Prouidendum ne aliquando sacerdotes obtentu pietatis
 & missarum, vertant pecuniã in rem suam: satis est
 eis prospectum.*

Bone Deus quid hoc est, si non sit ecclesiastico ordini inuidiam conflare, & eum apud populum odiosum reddere? Nullum profectò candorem, nullam pietatem hæc spirat sententia. Quando vidisti Ludouice, sacerdotes communi sententia pauperibus pietatis obducto prætextu eripuisse, quæ in priuata sua conuerterent commoda? Quòd si vnus aut

alter

alter sacerdos (cùm homines sint) huius vicij turpitudine sese conſaminavit: proinde omnibus sacerdotibus ea erat facienda inuidia? proinde infamia illa & odium in omnes sacerdotes erat deriuandum? Est ne istuc Christiani viri officium? Est ne istud ingenui & candidi animi specimen? Quanto satius tibi fuisset istam suppressisse sententiam quæ animi tui erga ordinem ecclesiasticum malum affectum euidenter prodidit. Verùm hoc refellere vti dignum est, aggrediamur. Qua fronte contra Pauli doctrinã, & contra omnium sanctissimorum pontificum decreta, & spiritus sancti in concilijs pronúciatas sententias audes tales tu condere leges? scilicet, Prouidendum ne aliquando sacerdotes obtentu pietatis & missarum, vertant pecuniam in rem suam. Duos senatores eligendos ab vniuerso senatu cõsulis, quibus rerum hospitalium, domorum ac pauperum negocia obeunda committantur. De quorum fide, diligentia, ac probitate nulla animum tuum subiit sinistra suspicio, quòd aliquando ea quæ sibi semel sit commissa prouincia sint abusuri: Senatotes prophanos qui duodecim tantùm in plerisque ciuitatibus esse solent omnes iudicas idoneos & aptos quibus tutò pauperum cura, fortunæ, prouentus, ac denique cuncta alia bona pauperum dispensanda, ac disponenda quibus voluerint, & ea ratione qua illis placuerit, demandentur, & in clericali ordine, in quo plures quàm centum aut ducenti presbyteri, præter alios leuitas, in populosis ciuitatibus reperiuntur, nec duos tantùm huic muneri obeundo iudicas inueniendos idoneos ac fideles ministeriorum Dei dispensatores? Tam manifesta vitæ improbitate omnes

nes sunt contaminati, vt nec duo in vniuerso clero inueniri possint, quibus tutò pauperum prouentus committantur? Est ne senatoribus prophanis facta aliqua singularis diuinæ assistentiæ gratia aut Spiritus sancti promissa directio, quæ ipsos integros inuiolatosque & ab alijs corruptis affectibus repurgatos conseruet, quæ clericis sit negata? Hoc sibi validè persuadeant cuncti illi mortales qui aliquo malo genio dementati ordinem ecclesiasticum exosum habent, ac detestabilem arbitrantur, viros sacerdotali dignitate præeminentes sibi datos in Patres spirituales, in magistros, in dispensatores carnis & sanguinis Christi, quorum dignitatem vti amplissimam ita summo honore debêt reuereri ac tueri, non proscindere, nec scommatibus dehonestare. Animarum curam intrepidè sacerdotibus committendam iudicat author huius libelli: rerum verò ac opum xenodochiorum administrationem ipsis minimè commendandam censet. Atqui cùm illas quæ his multo sunt præstantiores & sublimiores, regendas & gubernandas permittunt, quare nõ etiam has diuitias? Quàm plurimos esse sacerdotes qui non ea vitæ puritate, nec morum honestate sint decorati, quàm suus requirit & exigit sacratissimus ordo, minimè nego: verum sunt alij quàm plurimi sancti, pij, ac religiosi, quorum mores, vita, doctrina, & exemplum ipsos celebres & imitatione ac laudibus dignissimos efficiunt. Nec causificentur æmuli tales esse raros: sunt plures quàm ipsi arbitrantur. Animus malè in sacerdotes affectus eorum obscurat excellentes virtutes. Quid si aliquis ex ecclesiastico ordine diceret non esse admittendos ad consulares & senatorias dignita-

dignitates ciues opulentos, ne bonæ gubernationis prætextu obducto, exhausto ærario publico priuatas locupletarent opes, ô bone Deus! omnes viri senatorij ordinis clamarent, causificantes authores taliû sermonum seditiosos ac tumultuarios esse homines qui reipub. serenitatem perturbarent, quiq; populum in senatorium ordinem concitatum irritarent: tales homines dignissimos esse in quos vel extremo animaduerneretur supplicio. Cùm verò priuatus homo in ecclesiasticum ordinem turpissima insectatione debacchatus sit, suasq; contumelias, iniurias, & infames criminationes scripto editas in vulgus sparserit, nemo est qui illi succenseat: nemo veritatis & ecclesiasticæ dignitatis vindicem agit: nemo vel tantilla huius infamiæ ecclesiastico ordini illatæ commiseratione tangitur: est tamen Christus qui sacerdotalem dignitatem tãti fecit, vt qui sacerdotes spernerent, sui quoque contemptores esse & spretores affirmauerit. Ipsi igitur sacerdotes nostras causas iudicandas permittamus, qui pro vniuscuiusque meritis se cuique suo tempore retributurum est pollicitus. Sunt Toleti in Hispania aliquot xenodochia præclarissima quidem, quæ diuitijs, prouentibus, annuisque redditibus munificentia eius ciuitatis pontificum dotata, pauperibus curandis sunt apparatus, ædificijs magnificentissimis constructa, quorum primaria cura viris ecclesiasticis est deman data, qui ea fide, integritate, religione, ac pietate & prudentia quæ pauperum sunt, curant, vt nihil prorsus sit quod maleuoli detractores in suæ maledicentiæ defensionem aut occasionem arripere possint. Sunt tamen tam opulenta vt vnum tantum

tantum xenodochiorum illustrissimi domini Archiepiscopi Ioannis à Tauera iussu & diuitijs ædificatum viginti & quatuor millia florenorum habeat annuatim in vsus pauperum impendenda. Huius supremam & primariam administrationem quoad vixerit, Didacus à Gusmam vir natalium splendore, & religione ac doctrina illustris est habiturus. Sunt etiam Hispali, Xericij, Cordubæ, Burgis, Granatæ, Valentia, Cæsaraugustæ, & alibi quàm plurima per vniuersam Hispaniam xenodochia, quæ omnia clericorum authoritate & prouidentia gubernantur: non tamen pietatis prætextu obducto & missarum, res pauperum in sua conuertunt commoda. Multo magis timendum est, ne senatores prætextu pietatis obducto suis prolib⁹, cognatis, amicis, propinquis, famulis, notis, familiaribusque, & alijs suis stipendiarijs de rebus pauperum prospiciant, vel opes suas adaugeant, quod si factum sit, illorum esto iudiciũ, qui xenodochiorum aliquando curam gesserint. Nihil audio frequentius, quàm quòd abbatiarum receptores ex abbatum & monasteriorum prædijs, pauperes ac tenues suas fortunas prædiuites & opulentas fecerint, adeò vt interdum ex infima conditione in primarios viros nonnulli ex monasteriorum receptionibus de repente emerferint.

Multa alia in duobus illis libellis De pauperum subuentione continentur, indigna quæ Magistratus catholicus executioni debeat mandare, vt quæ diuinis legibus sacris libris contētis, & sacris canonibus planè aduersentur, ecclesiæque vetustissimæ & laudatissimæ consuetudini planè sunt repugnãtia. Pius ac doctus lector vbi ea deprehēderit, vitare curabit.

Post

Post hunc libellum cuius aliquot propositiones superiùs in medium productas confutauimus, editus est alter anno 1562. in ciuitate Brugensi a quodam Licurgo Solono aut Pharoneo, qui utinam tantum haberet pietatis & eruditionis, quantum præsumptionis & audaciæ. Titulus libelli est, De alendis & continendis domi pauperibus, & in ordinem redigendis validis mendicantibus. Author huius libelli incredibile est dictu quantum in ecclesiasticos concionatores ciuitatis Brugensis (qui multi sunt pietate & doctrina insignes) ille sit debacchatus. Vocat concionatores ac vniuersos alios Theologos qui contra sua placita reclamant, qui que sua verba pro diuinis oraculis recipere nolunt, blaterones, refractarios, ignorantes rerum, clamorosos, inferiores, iure contemnendos, ignaros non solum rerum, sed etiam verborum, & alia quam plurima probrorum plaustra in ipsos iacere, suoque libello cum alijs sexcentis iniurijs ipsos aspergere non est veritus. Et quod grauius animos piorum offendit, est, quod cum hæc omnia literis prodere non dubitauerit, episcopo que & senatui Brugensi, qui catholici sunt, librum dedicatum in lucem emisit: nec episcopus, nec senatus vel minimam displicentiæ demonstrationem ediderit, cum iniurias libellus grauiores in viros sacros contineat, quam quod priuatus ciuis ferre posset aut vellet. Est ne hoc populum in clerum commouere? Est ne hoc seditionem excitare, aut scandala grauissima, quæ religionis serenitatem perturbent, serere, ut populus in clerum odium concipiat hostile, & indignationem odiosam, ad eum vt procul ecclesiasticum ordinem à se repellant, & ab

eius reuerentia, pietate ac deuotione fideles retrahantur? Senatus hæc nõ tanti facit, vt de illorum hominum furioso impetu reprimendo aliquid deliberet aut statuât. Negliget profestò Deus suæ authoritatis protectionem, suæquæ ciuitatis tutelam & patrocini-um, quando sua authoritate & permissione priuato homini licet tam hostiliter in ordinem ecclesiasticum impunè sæuire, ac debacchari. Sed operæ precium me facturum arbitror, si aliquot propositiones partim temerarias, partimquæ erroneas & suspectas ex illò libello decerptas, hîc relatas uiris eruditis ac pijs æstimandas permittam, vt ipsis discussis atque examinatis, uiri docti ac pij iudicium facere possint, quàm honestam & æquam causam causidicus iste defendendam atque asserendam suscepit.

Ita habet in epistola dedicatoria author libelli De continendis domi pauperibus.

Subijt animum meum cogitatio, & mirari desij, multos esse qui priuata cõmunib⁹ præferunt, & propria ac priuata potius que publica utilitate merentur. Hoc uerisimile est, imò nihil obscure deprehendi, conscientiarum periculo non mediocri, pauperes hanc alendi rationem non probasse: quia cum suis rationibus non esse coniunctam animaduertent. Sed hi ut numero, ita pondere merito quæ inferiores sunt, ac prouide iure contemnendi. Hæc Uvistijs.

Intelligent lectores hîc, quanuis suppressis nominibus, in cõriminationem adduci religiosos viros nonnullos ex clericali ac regulari ordine Franciscanos præsertim, qui ubi primùm deprehenderunt rationes, quibus Senatus conaretur quosdam expellere, & alios domi alere pauperes, cum leges, quæ
illis

illis & his præscribentur, certò scirent sacris libris ac cæteris diuinis oraculis aut scripto vel traditione, aut in concilijs, vel sanctorum pontificum decretis contentis aduersari, continuo (quod eorum postulabat officium & institutum) existimarunt sibi reclamandum fore. Quod equidè animo, zelo ac studio Christiano fecerunt, faciuntque modò. Quorum vt lectores, in quos tam acerbè & indignè inuehatur Vuitsius, intelligant; statum, personas, conditiones, dignitates, & eruditionem describere placet. Omnes in primis sunt sacerdotes, nonnulli animarum pastores: alij sunt religiosi trium ordinum mendicantium, scilicet Augustiniani, Franciscani, ac Dominicani. Qui omnes in præstantissimis scholis, quales sunt Louaniensis, & Parisina, illustres gradus quo pulchros & honestos progressus, quos ipsi tum in sacris, tum etiam in prophanis, constantissimis suis laboribus, disciplinis fecerunt, testarentur, sunt consecuti. Sunt aliquot doctores Theologi eximiè docti, quorum vnus ob eximiam suam eruditionem, pietatem, & in religionem catholicam singularem & longa experientia confirmatum ardentissimum amorem, in primo concilio Tridentino gratiam & multorum, vel potiùs omnium pontificum ac Patrum qui eò conuenerant, sibi conciliauit fauorem. Is vocatur Frater Rogerius iuuenis, doctor Theologiæ, Augustinianus. Alij sunt sacræ Theologiæ licentiati: sunt etiam & in eadem sacræ Theologiæ facultate bacchalaurei formati, plerique alij literarum Latinarum, Græcarum, & Hebraicarum cognitione eximiè decorati, qui adeò huic nouitati aduersantur, vt constanti & matura animi deliberatione apud

se statuerint se ad stipulatos eorum suffragijs, qui iudicant Theologis & ecclesiasticis viris esse reclamandum, ne vllum præiudicium pauperibus fiat. Præter hos sunt etiam alij docti & pij concionatores, qui prudentia, iudicio, auctoritate, & gravitate multum valent, non tantum apud imperitam multitudinem, verum etiam apud viros principes, graves, & honestatis, ac pietatis vehementer studiosos. Nec desunt in cathedralibus ecclesijs sacerdotes dignitate, pietate, & doctrina, ac nobilitate conspicui, qui & huic vltro subscribunt sententiæ. De his omnibus dicit Vuitsius: Hos verisimile est, imò nihil obscure deprehendi, conscientiarum periculo non mediocri pauperes hanc alendi rationem non probasse, quia cum suis rationibus non esse coniunctam animadverterunt. Si de te vel de quopiam alio honesto ciue hæc effutuisse aliquis sacerdos vel ecclesiasticus vir, quid tu diceres? quid dicerent alij? Nihil obscure deprehendisti? Quanto satius tibi fuisset illius sententiæ Harpocratis meminisse: qui rogatus quare sileret: Quia dixisse me aliquando poenituit, tacuisse nunquam respondit. Multum obscure reprehendisti. Non tibi patent sacerdotum corda: nec tibi vlla de sacerdotum conceptibus aut cogitationibus diuina facta est demonstratio: nec Lynceos habes oculos. Falsis coniecturis virum probum minimè decet adduci, vt tam sinistra, tam iniqua & pectore candido indigna concipiat de viris qui vel in specie tantum pij & boni videntur. Quis genius bonus tibi suggestit, aut inspiravit, quòd cum conscientiarum periculo non mediocri sacerdotes illi non probauerint eam alendi pauperes rationem? Grauisimè profecto

fectò ab illis esset peccatum, manifesta que noxa Dei optimi maximi indignationem in se prouocassent, si eam quam tu & alter tu similis pauperes iuuandi formam Senatui que catholico sua authoritate communiendam obtulistis, probassent rationem. Quid potuit dici audaciùs, aut maiori cum iniuria ecclesiastici ordinis, quàm id quod sequitur, scilicet: Non probant sacerdotes eam pauperes alendi rationem, quia cum suis rationibus non est coniuncta. Quid si ego vicissim dicã, quòd tu eam alendi pauperes ratione maximè probes, quia cum tuis rationibus speres fore coniunctã? Quod eueniet, quando forsitan dabitur vt tu pecuniarum montis pietatis receptor & collector constituaris: quid si ego dicã quòd tunc temporis tu ex pauperum & impotentum fortunis dabis operam vt tua intumescat crumena, & vt potens fias? grauitè & ægrè ferres id à me esse dictum, vt qui te honestum ciuem & virum senatorij ordinis ministrum infidelitatis apud Senatores, & populum quibus inseruis, insimularem. Quare non item cogitasti, quando in viros ecclesiasticos stylum acuerè decreuisti, & illos tanta inuidia apud populum voluisti grauare, eos etiam grauitè & indignè laturos, si latrocinij, rapacitatis, auariciæ, & sacrilegij notas à te sibi inuri viderent. Præterea docet hoc religio Christi quam profiteris & pietas, quam tam seuerè ab alijs ecclesiasticis viris exigis, nimirum, vt impunè tuta que conscientia tibi liceat Christi sacerdotibus non modò falsò detrahere, verùm etiam falsas detractationes scripto mandatas in vulgus spargere? Minimè quidem, nisi aliud quàm nos profitearis Evangelium. Scias igitur Vuiti, sacerdotes Dei non

reclamare, nec in hanc insurgere constitutionem ob eam causam, quam tu illis affingis. Sed quia leges in hoc negotio seruandas, vel ab alijs confictas sacris Euangelij legibus maximè aduersantes tua conscientia ferre non possint. Non probant sacerdotes Dei hanc alendi pauperes rationem, non quia cum suis rationibus non est coniuncta: sed quia charitatis, & religionis Christianæ legibus repugnat maximè.

Sequitur in libelli præfatione,

Sed hi vt numero, ita pondere, meritoque inferiores sunt, ac proinde iure contemnendi.

Theologi vniuersitatis Louaniensis, ac Parisinæ Academiæ, & plerique alij viri pietate & eruditione insignes ac spectati tibi videntur homines numero, pondere, ac merito inferiores? hos tu temeritate tanta doces iure contemnendos? Tu solus es homo numero, pondere, & merito superior, tu solus es magnificendus, cunctique alij qui tuis legibus non parent, vel scriptis non subscribunt, sunt contemnendi, & iure. O Deum immortalem! ô præsumptuosam arrogantiam, & inauditam animi elationem, quam deprimere non potuit nec sui cognitio, nec bonæ & modestæ mentis imperium, nec ipsa diuina & admiranda in tales homines, sacerdotum contemptores à Christo pronunciata sententia, scilicet: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Tam viles & ineptos sacerdotes Christi diuinos iudicas præcones, vt audeas de illis dicere: Sed hi vt numero, ita & pondere, meritoque inferiores sunt, ac proinde iure contemnendi. Satis sunt despicabiles & contempti sacerdotes apud hæreticos, non est quod

quod catholici quorū tu vnus es, etiam doceant populum sacerdotum contemptū. Tu qui cum sacerdotibus catholicam religionem profiteris, sacerdotales viros tuendos atque extollendos suscipere debueras: quod catholici & boni viri esset officium, non autem libris editis ipsos proscindere ac dehonestare. Hoc ingenuè tibi affirmare non dubitabo, quòd nec Gētiles suos Flamines, nec Apenini Galli suas Druidas, nec Chaldæi suos magos, nec Mahometani suos Alfaquinos æquo animo tulissent tanto improprio affici, & tam indignis nuncupationibus à priuato viro iustissimam etiam causam habente dehonestari, quin iustum de ipso sumerent supplicium, tantum apud ipsos commentitij sacerdotij obtinuit vana authoritas: tibi tamen in ea ciuitate quæ pietatis cultoribus est referta per episcopum & Senatum licet in sacrum ecclesiæ ordinem, prout animo est collibitū, debacchari: tibi licet literis tuis suggillationes, criminationes, iniurias, ac pleraque alia indignissima impropria prodere, vt in vniuersos mortales effundantur, indeque sacerdotes malam à quibus bonam sperabant, sint inhuri gratiam: sicque tandem succedat, vt populus concepta animo semel de ecclesiastico ordine sinistra opinione, ab eius amore, reuerentia, & religione dimoueatur. Non sum eius sententiæ vt velim ad sacerdotum vitia conuiueamus, nec vt ipsa probemus: sed hæc cum sunt in me ac plerisque alijs, accusari, damnari atque reprehendi volo, sed non per te, sed per eos quibus id muneris incumbit: quòd si ne hi id curauerint, tunc Deo est eorum relinquendum iudicium, qui suo tempore iusticias iudicabit. Et quando eos ita suggillare decreuisti,

non erat id libris committendum . Probares'ne tu
cius viri consilium , qui studium adhiberet in pen-
sionariorum peccatis, quæ circa rerum publicarum
commisissent gubernationem, colligendis, vt colle-
cta atque digesta capta occasione scribendi de opti-
ma reipub. gubernatione, ea suis locis annotaret, vt
ita infamatos in lucem emitteret ? non arbitror. Sic
est Christiano viro dicenda sententia , vt prudentis
cōsultoris personam, non satyrici mimi agere videa-
tur : est etiam boni viri prodesse omnibus quibus
possit, nocere nemini , etiã laceffitus iniuria: est pro-
fectò candidi animi indicium in bonam partem in-
terpretari, etiam quæ vitio proxima videantur . Tu
conatis obscuris criminationibus ecclesiæ præcepta
obterere , tu etiam niteris sacerdotes à pauperum
negocijs explodere. Nos nullo commētitiæ opinio-
nis fuce intendimus quemquam præuenire contra
Senatus iusta & æqua præcepta . Sed quæ sint iusta
& Christiana præcepta, quatenus etiam & quales le-
ges Senatus cōdere possit , hoc nos Senatum ex Eu-
angelio admonemus. Hoc à nobis vos discere debe-
tis: nobis equidem pium ac luculentum semper fuit
visum, quòd Senatus pauperum suam etiam habeat
rationē, dicimusque nihil esse diuinius, facilius, & ef-
ficacius ad rem publicā bene constituendam, quàm
si validi & erronei mendicantes redigantur in ordi-
nem, affirmamusque nihil magis esse ex re publica,
quàm validos mendicantes, quos longa licētia plus
satis corrumpit, opere exercere, & veros pauperes ale-
re. Falsò tamē affirmas, quòd hoc ipsum est, quod in
falsam criminationē quorundam malesuade cupidit-
ates rapuerunt: nulla sanè cupiditas nos in hanc in-
duxit

duxit sententiam, vt tibi tam effusa licentia ordini ecclesiastico impudenter insultanti aduersaremur, sed bonæ ac prouidæ mentis iudicium. Tu videris cupiditatis alicuius vel honoris, aut commodi igne accensus, mentem perturbatam & malesuadam habuisse, quando ad tantas iniurias viris ecclesiasticis Christi præconibus irrogandas te composuisti. Nobis equidem integra, sana, imperturbataque mens diuinis oraculis erudita hanc dedit sententiam; non vlla cupiditas. Nec rapimus (vt tu falsò nobis obijcis) in falsam criminationem præcepta bona, pia & literis sacris, diuinisque regulis congruentia Senatus: sed veneramur, atque Senatui prorsus esse obediendum docemus. Est ne rapere in falsam criminationem, docere quòd Senatus non sit constituendus dominus eleemosynarum Christianorum? Est ne rapere in falsam criminationem, affirmare, quòd veris Christi pauperibus non liceat Senatui inhibere in ciuitate Christiana, quæ vitæ humanæ sustentandæ, si aliunde habere non possint, sint necessaria quouis tempore, quauis hora mendicare? Est ne rapere in falsam criminationem, defendere iura testatorum, & mortuorum vltimas voluntates curare, vt ita exequutioni mandentur perinde ac maiores nostri decreuerunt: vt testatores mortui suis votis non fraudentur, sed id fiat de suis legatis, quæ ipsi moribundi statuerunt faciendum? Est ne rapere in falsam criminationem, docere, quod tu non scis, nec Andreas ille quem tu citas sacrorum canonum interpretes? Est ne rapere in falsam criminationem, docere, quòd non liceat Magistratui pauperes, solùm quia sine alicuius præiudicio vel incommodo mendicant,

in vincula cōijcere, & eos inhumana ratione tractare? Est ne in falsam criminationem rapere, docere, quòd non licet in domo ciuica erigere tribunal, in quo de ecclesiasticis eleemosynis ius dicatur, & causæ tractentur? Est ne rapere in falsam criminationē, docere, quòd Scabini non sint cōstituendi iudices rerū ecclesiasticarum, etiam quæ pauperum sunt? Est ne rapere in falsam criminationē, reclamare, quòd Senatui non liceat prouentus, redditusque, ac cetera bona ecclesiastica describere, nec vllam de ipsis nouam inire rationem? Est ne rapere in falsam criminationem, docere, quòd non sit licitum montis pietatis mensam erigere, nec iniquis quæstibus pauperes esse alendos? Est ne rapere in falsam criminationem, docere, quòd fœnus non sit licitum etiam pro subuentione pauperum, ne pietatis in montem conuertatur impietatis? Hæc & alia similia quæ ex tuo & alterius pectore formata prodierunt, sunt quæ nos catholicos Theologos maximè perturbant, & ad reclamandum compellunt, ne vos qui in manifestum animarum prolabimini incauti præcipitium, prorsus corruatis: Hæc sunt quæ nos asserimus, quæ prædicamus, quæ consulimus, & indignissima esse quæ à Senatu catholico fiant, docemus. Videant viri graues, pij & eruditi, ac veritatis amantes, vter nostrum alterius sententiam in falsam criminationem arripiat: tu ne nostram, aut nos tuam. Videant item si hæc reclamandi ratio ex cupiditate malesuada; vel ex mente Christiana charitate illustrata profluxerit: quæ vbi pro dignitate perpenderit, ac iudicium fecerint, eam partem sequendam atque eam sententiã tuendam suscipiant, quam

legibus

legibus diuinis propiùs accedere viderint.

Sequitur in libello De alédis domi pauperibus.
Id genus hominibus resistere, eorumque exporrecta virtute, argumēta refellere, muneris esse mei existimaui.

Malè existimasti: non enim est tui muneris con-
 cionatorum Christi, & Theologorum argumēta re-
 fellere. Hoc est officium Patrum, ecclesiæ episcopo-
 rum scilicet, doctorum, & aliorum pastorum: tui
 muneris est, Senatui, cuius es stipendiarius minister,
 inseruire, in consilijs adhibitus prudenter & sapien-
 ter, si possis, de re proposita dicere, ac tandem æqui-
 tatis limitibus intemeratis, quæ statui reipublicæ am-
 plificando oportuniore tibi videbuntur, consulere:
 tui muneris est verbum Dei à Theologis audire,
 suis præceptis parère, eorum argumenta suspicere
 atque admirari, si prorsus cuncta callere non possis,
 vtpote quæ diuina sint, & diuinitus sint fabricata:
 Non enim est tui muneris theologitari, nec argu-
 mentorum theologorum, aut tui ingenij in ipsis
 refellendis virtutem exporrigere. Bone Deus quan-
 tum habet contemptus propositio illa scilicet! *Id ge-
 nus hominibus resistere mei esse muneris existima-
 ui.* Et quantum habet fastus & arrogantia oratio illa
 scilicet? Et eorum argumenta exporrecta virtute re-
 fellere. Discas ita animi immoderatos componere
 motus, vt nihil per rimulas effluat, quod latens pro-
 dat superbiæ fomentum: discas virtutem recondere,
 non exporrigere. Nunquam enim magis solida &
 firma Christianorum consistit virtus, quam cum in-
 firmitatis paucioribus celata refulget. Quod quidem
 illius diuini Pauli testimonio confirmari, affirma-
 mus, qui dixit: Cùm autem infirmior, tunc poten-

tior sum : nam virtus in infirmitate perficitur.

Sequitur in libello De alendis domi pauperibus. *Neque enim ferendum est, ut otiosam vitam agant, nihil que in publicum profint, imò etiam obsint. Et paulo inferiùs : Et an valeat statutum, vel, ut ipsi loquuntur, an sit æquum & bonum, expediens, atque edificans, ut pauperes semel à vagabundis discurrant, & nemo ociosus viuat in ciuitate (in qua, ut dixi, tanquam in domo bene instituta unumquemque decet esse in officio) ut nemini pro veteri licentia per plateas & compita, ostiatim, & per ecclesias mendicare liceat sine testimonio & chirographo, & nisi in patria propria, & certis horis.*

Quis vnquam Theologorum docuit ferendam esse otiosorum hominum turbam? quis vnquam bonæ mentis ac sanæ dixit ferendos esse eos qui bono publico sunt obfuturi? Nemo sanè: quin singulari cura & studio cõcionatores, eruditi & pietatis studiosi è suggestu clamât in priuatos homines, vagos, erroneos atque otiosos, vt ad operas quæ sibi & reipublicæ vsui & ornamento sint futuræ, præstandas sese componant: clamant item concionatores in Senatorum aures, vt in tales homines qui rempublicam grauant ac dehonestant, iusta punitione animaduerant: tantum abest vt eorum defensionem suscipiant, nec eorum otio, vicijs, & turpitudinibus patrocinentur. Imò non possumus satis admirari nimiam Senatus in tales homines conuiuētiam, quæ vnica est causa tot cædium, rapinarum, insultuum, sacrilegiorum, & aliorum nefariorum facinorum, quæ his 4. proximè præteritis annis per vniuersas Belgarû ciuitates à seditiosis istis erroneis audiuius & vidimus fere impunè

impunè designari, quorum ~~si~~ iusta in tempore à vobis habita fuisset ratio, nunquam adeò serpsissent, nec conualuissent talium hominum efferati conatus, vti vel eedes in meditullio ciuitatum constructas, templaque sacrata nefarijs insultibus adoriri ac diripere magna Senatorum ignominia, & omnium ciuium grauissimis incommodis, trucidatis etiam viris sacris, intentassent. Non enim tales helluones prorsus efferatos nos Theologi tutari statuimus: quin obnixiùs quàm possumus constanti concordia vos hæctenus semper obsecrauimus, vt ciuitatem vestram pestiferis ac sordidis istis ruderibus igni ac gladio in malorum vindictam vobis dato repurgaretis, vt tandem ciues, emunctis illis, qui suis maleficijs publicam serenitatem perturbant, in optata ac dulci quiete depurati ac tuti vitam transigere possint. Quì possemus nos otiosos ac vagos defendere erroneos, quos tu validos vocas mendicantes, cùm legamus Christum vehementer illis succensuisse viris, qui in ciuitate tota die otiosi stetissent, quos etiam in vineam suam operaturos intrusit? Quo pacto nos talium hominum otium ac vagum discursum reprehensione & animaduersione dignissimū in nostrum patrocinium susciperemus, cùm informati sacratissimis Pauli doctrinis sciamus otiosis victum & amictum esse interdictum? Non manducet, inquit Paulus, qui non laborat. Damnat Ezechiel otium, adeò vt iniquitatem esse clamet: & nos qui fundati sumus super doctrinam Apostolorum, & Prophetarum otium probaremus? minimè quidem: plectantur validi mendicantes, & tunc maximè cùm laborandi datam respuunt facultatem, qua si volentes laborare, destituan-

destituantur, minimè quidem tunc temporis sunt
plectendi, quantumuis validi sint mendicantes, sed
iuuandi. Falsa igitur criminatione nos suggillant,
qui dicunt horum hominum patrociniū ac prote-
ctionē nos suscipere, cū reuera seuerissimi eorum
simus reprehensores & accusatores. Ceterū quod
malè me & alios viros graues atque eruditos habet,
id est, quòd quemadmodum validos mendicantes
dicitis in publicum nihil prodesse, imò obesse pluri-
mum, ita Christi veri pauperes graue incommodum
ciuitati adferre falso causificatis. Quis hoc ferat, si
modò Christianū suo pectore gerat animum? quis in
hoc non reclamet, si modò sacris doctrinis sit infor-
matus? Vnumquemque decet esse in officio in ciui-
tate tanquam in domo bene instituta. Quod officiū
pauperibus miseris & calamitosus tu pauperum cen-
sor obeundum imponeres? quas operas vlcerosis,
mutilis, truncatis, cæcis, surdis, atque alijs iniurijs
affectis exequēdas dietim præscriberes? Nescio sanè
quo consilio, qua ratione, vel cuius authoris suffra-
gio subnixus tu audes nouitatem istam nobis obtru-
dere. Misſos te rogo facias Christi pauperes, ne ipsi
dicant contra te ad Deum clamantes: Quoniā quem
tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulne-
rum meorum addiderunt: Appone iniquitatem su-
per iniquitatem eorum, & non intrent in iusticias
tuas. Probares ne tu eius Senatus consilium, qui Iob
virum sanctissimum omnibus suis fortunis priua-
tum, & ad miserandam inedia diuino iudicio re-
ductum, vlceribus purulentis refertum, & Thobiam
luminibus orbatum, atque Lazarum illum Euange-
licum pauperem in domum aliquam reclusos, ne in
publicum


publicum prodirent, conijceret? minimè equidem. Eadem est ratio de pauperibus quos tu tam exosos habes, qui vt domi contineantur, tanto studio procuras. Visantur pauperes per vicos, per plateas, per compita, per villas, per oppida, & ciuitates, idque ex veteri licentia & vetustissima consuetudine. Pulsentur ab illis tuæ & aliorum ciuium fores, audiantur eorum lamentabiles voces & gemitus: videantur eorum plage, vlcera, pus, mutilationes. Ingerant illi auribus tuis aliorumque hominum perpetuam diuini nominis recordationem: pauperes enim Christi, ecclesiæ sunt splendida ornamenta, Christi iuagines, & admiranda Dei operationis diuina exempla, quæ te ac vniuersos Christianos ad eorum intentam contemplationem prouocant. Porò autem quòd veri pauperes testimonio & chyrographo suam paupertatem testanti debeant stipem quærere, mihi maximè probatur: verùm quòd illud testimonium vel mendicandi permissionis chyrographum à Senatoribus ciuitatis pauperes debeant obtinere, hoc nec vos vsurpare iure aliquo, nisi læsa ecclesiasticorum pastorum amplissima dignitate, potestis, nec vos id, etsi maximè velimus, vt vobis vsurpetis, permittere possumus. Id muneris quod iam superius abundè satis probavi, episcopi, pastorum, & aliorum ecclesiasticorum virorum est. Ab Apostolorum inde ætate in nostra vsque tempora pauperum inspectio & sollicitudo primaria ad ecclesiasticos viros fuit deuoluta, non ad prophanos. Satis est vobis, bone Deus, negociorum, quæ vtinam ea æquitate, & celeritate expediretis, quam pauperum & honestorum ciuium reuis & exhausta requirit fortuna.

His

His expediendis, non alijs negocijs comparandis erat vobis intendendum. Dicam vobis paucis quæ olim circa hanc materiam catholicis Senatibus fuerit obseruata praxis. Senatus qui sacris nostræ fidei dogmatibus feliciter & religiosè erant instituti (quod olim amplissimi etiam Magistratus faciebant) episcopos & pastores, quos tanquam Patres & suos Apostolos maximè venerabantur, quando eius generis causa aliqua sese offerebat, adibant, ipsosque deprecabantur, vt matura & Christiana deliberatione secum consultarent, quo pacto ociosos & validos homines à veris Christi pauperibus seclusos in ordinem redigere possent: timebant enim pij Senatores amplissimam dignitatem, quam maximè in sacerdotalibus viris reuerentur, & charitatis diuinas leges, quarum singulares erant cultores in eo discrimine pauperum & ociosorum hominum faciendo, offendere: ob idque sacerdotibus, quorum ratione officij, dignitatis, ac muneris integritatem magnam esse credebant, delectum (quod & ipsis debebatur) faciendum permittebant. Qui vbi satis haberent compertum, qui nam vera paupertate, inedia, vel ægritudine macerati victum & amictum nullius artis opificio sibi comparare possent, eorum curam in se suscipiebant: & qui eorum vlcerosi, mutili, vel truncati, aut cæci, vel alia aduersa & graui valetudine laborare comperiebantur, in ecclesiarum xenodochia, vel episcoporum ptochodochia curandi (si suis malis mederi vlla ratione possent) & alendi recipiebantur. Alij verò validi sed honesti pauperes, qui nec suis opificijs victum sibi comparare poterant, vel quia numerosa contigerat familia, aut quia mulier

vel

vel virgo manuarijs artibus non vsque adeò quaestuosis sese occupare poterant, auctoritate episcopi in catalogum ecclesiae referebantur, ecclesiae opibus (si forsan essent) nutriendi & sustentandi. Horum cura diaconis & presbyteris, alijsque ecclesiasticis viris erat demandata: promouebanturque viri prophani auctoritate episcopi, vel ecclesiastici senatus, qui ipsis substituerentur, qui prouinciam illam obeuntes pietatis studijs occuparentur, vt inde discerent seruitia pauperum & ministeria se in ecclesia etiam debere suscipere, non dominium. His pauperibus episcopus, vel alij ecclesiastici viri testimonium literis contentum, aut chirographo dabant, quo suam paupertatem ab ecclesiasticis viris tanquam Dei sententia apud pios & opulentos viros commendatam & approbatam haberent: nimirum vt fideles intelligerent, quibus pauperibus in primis suas essent elargituri eleemosynas. Quòd si alij essent pauperes ociosi & vagi, his tale testimonium & chirographum ecclesiastici viri negabant, vt Senatus prophanus cum in hos incideret, eiusque testimonii protectione destitutos inueniret, vel in vincula conijceret, vel ad operas praestandas compelleret, vel alia ratione in ordinem redigeret. Quando verò ecclesiae tenuis erat fortuna, & diuitum frigida & exigua in pauperes pietas, tunc temporis episcopi populum exhortabantur ad beneficentiam in pauperes. Inde extant tot ac tam luculenti sermones Augustini, Chrysostomi, Origenis, Ambrosij, Basilij, Eusebij Emissemi, Petri Grisologi, & Cesarij, quibus Christianos ad pietatis opera accendere conabantur. Pauperesque & plerique alij miseri & calamito-



si discurrebāt per ciuitates ostiatim vel stipem quæ-
rentes, erantque tales pauperes omnibus noti, no-
tiorque erat cunctis ciuibus eorundē miseria, cala-
mitas, & indigentia. Exterarū ciuitatum pauperibus
non erat integrum, inconsulto episcopo, ac sine eius
literis (quas formatam vocabant) aliò proficisci, qui-
bus literis episcopi pauperis describebantur cala-
mitates & miserię, causa itineris instituti, & contine-
batur etiam in illis pauperis honesta commendatio.
Vtinam hæc praxis in vniuersas Christianismi ciui-
tates nostris temporibus restitueretur: non enim tot
ac tam perniciosis malis nostra respublica grauata &
conspurcata videretur, nec tot cædes, incendia, ac la-
trocinia passim patrata, magno Senatorum dedecore
prædicarentur. Si hanc Senatus consuetudinem suis
ciuitatibus restitui postularent, suamque dignitatem
ecclesiasticis viris intemeratam permetterent, haud
dubiè multò fœliciùs res quæ suarum ciuitatum
amplitudinem & maiestatem exaltant, ipsis succe-
derent: sed vident omnes qui paulò attentius ne-
gocium istud animo versant, Magistratus de hac
nouicia constitutione in vsum deducenda cogitasse,
non vt pauperum negocium curēt, nec vt ipsis prof-
piciant, sed vt pauperum, quem maximè fastidiunt,
vident conspectum, & eorundem voces, gemitus, la-
chrymas, indigentias, miserialque, & alias calami-
tates, quas ipsis Deus alta sua dispositione diuino-
que consilio, vt hæc à nobis diligentissimè in vsum
nostrum considerarentur, inflixit, procul constitutas
obliuioni tradāt. Porrò autem vt hanc sinistram sus-
picionem à se reijciant, & vt Christiana ratione hoc
pauperum negocium vltteriùs & fœliciùs Senatus
promo-

promouete possint ea, quam ab ipsis religio Christiana exigit pietate & reuerentia suum episcopum tanquam patrem conueniant, ipsumque deprecantur, vt huius negocij cum sui senatus viris rationem velit habere, de ipsoque deliberare dignetur, vt matura simulque & Christiana consultatione præuia statuatur quid ipsis liceat facere, qualesque circa illud negocium leges condere debeant, demostrent. O quàm fœlici, & quàm secunda fortuna tunc temporis cuncta agerentur! quàm prosperè omnia succederent, quàm fortunatus esset Senatus, quàm religiosi ciues, qui suum episcopum, suosque pastores etiam immerentes vt Dei vicarios, vtque patres in suarum animarum formatores diuinitus datos amarent ac venerarentur. Sed, proh dolor, plus odij & contemptus in ecclésiasticos viros etiam optimos cuius aliquot significationes per rimulas interdum effluunt, nonnulli, qui catholici volunt videri, animo gerunt conceptum, quàm hæretici ipsi ecclésiæ capitales hostes. Sed suo tempore Dominus vnicuique iuxta opera sua est redditurus, & cum acceperit ventilabrum in manu sua, discernet paleas à tritico: tunc ipsi ac nos videbimus qui paleæ igni æterno comburendæ, & qui triticum in diuina ac cælestia illa horrea colligendum sint futuri: tunc facilè ac manifestè quãtum obfuit pauperes exhorruisse, & eosdem amasse quantum sit profuturum, experiemur.

Sequitur in l. De continendis domi pauperibus. *Extant, vt dixi, huius rei non obscura præceptiones in Deuteronomio, Euangelio, & in Prophetis. Verùm cum illi generales tantùm sententias & regulas præscribant, nec indicent speciatiim quando, vel quate-*

nu, ubi, & quomodo sit prestanda misericordia quòd natura hominis varietate sua sit infinita (legimus enim esse & intempestiuam, & illiberalem, & ambitiosam, & iniustam quoque misericordiam, qua (ut in prouerbio est) nihil pene distat ab inimicitia: quod Ambrosius in officijs, & ex nostris Vlpianus, Labeo, & Marcellus probant) omnis hæc adminiculo canonum, & legum ciuiliu, quæ de hoc negotio disertè & signatè loquuntur, controuersia debet temperari.

Quando vel ubi legisti quòd legum ciuiliu adminiculo omnis controuersia de ea ratione quam in eleemosynis largiendis, quas in Deuteronomio, Prophetis, & in Euangelio Deus indigentibus à potentioribus iussit præstari, simus seruaturi, veniat temperanda? Non equidem arbitror id te apud Basilium, Cyrillum, vel Athanasium, Chrystomum, nec vel apud aliquem alium ex Patribus Græcanicæ ecclesiæ, nec apud Augustinum, nec apud Tertullianum, Ambrosium, Hilarium, Cyprianum, vel Hieronymum, sed nec in vllò concilio te id cõperisse, sed nec apud Vlpianum, Labeonẽ, & Marcellum. Quid negocij est ecclesiæ cum iuris peritis? Est ne eleemosyna pecunia litigio exposita, vel legistarum legibus non diuinis administranda? minimè equidem. Tui ciuiliu legum periti ex diuinarum legum sanctissima institutione, ex sacrorum canonum prouidentissima dispositione, atque ex conciliorum diuinis oraculis, vel Patrum orthodoxis sententijs didicerunt, quomodo, quatenus, quando, ubi, & quibus esset elargienda eleemosina. Nec opus fuit ecclesiæ Vlpiani, aut Labeonis, vel Marcelli expectare iudicium, vt œconomica rationem eleemosynarum dispensan-

dispensandarum ab illis disceret obseruandam. Verum huic sententiæ verbum quoddam innexuisti, cuius vtinam æqua à te in libri argumento proseguendo habita fuisset ratio, scilicet: Canonum adminiculo qui de hoc negocio disertè & signatè loquuntur, hæc controuersia debet temperari. Sanè libenter suscepissem quòd sacrorum canonum regulas, in hoc negocio tractando ac defendendo secutus fuisses: sed multò aliter res se habet. Nam non modò negocij statum nec controuersias circa præsentem causam exortas sacrorum canonum adminiculo non temperasti in hoc tuo libello, nec in alia constitutione Senatus Brugensis auctoritate promulgata, verum eorundem sacrorum canonum summa iniuria & grandi temeritate cuncta quæ illic continentur, sunt à te, & ab alijs fabricata. Vtinam quando apud te statuisti constitutionem illam De pauperibus domi continendis fabricare, in tuum conclaue ad eius formationem faciendam sacrorum canonum adminicula vocasses. Sed quid? Hac procul propulsata, tui cerebri discursus; consilia, ac tandem tuam priuatam deliberationem sequutus, quid potuit præstare homo externarum disciplinarum, tantum quibusdam suppellectilibus ornatus, nisi id quod controuersias & odiosas cõtentiones pareret? quod que tam esset contradictioni & reprehensioni obnoxium, vt minimè nisi grauata conscientia, & Dei ira in se iustissimè prouocata, Theologi probare possent, quin nefas illis esset non reclamare. Verum vt facile cuncti percipiant te minimè præstasse quod promittis, scilicet, quòd sacrorum canonum adminiculo controuersias eleemosynarum esses temperaturus,

nus, ubi, & quomodo sit præstanda misericordia quòd natura hominis varietate sua sit infinita (legimus enim esse & intempestiuam, & illiberalem, & ambitiosam, & iniustam quoque misericordiam, qua (vt in prouerbio est) nihil pene distat ab inimicitia: quod Ambrosius in officijs, & ex nostris Vlpianus, Labeo, & Marcellus probant) omnis hæc adminiculo canonum, & legum ciuiliu, qua de hoc negotio disertè & signatè loquuntur, controuersia debet temperari.

Quando vel ubi legisti quòd legum ciuiliu adminiculo omnis controuersia de ea ratione quam in eleemosynis largiēdis, quas in Deuteronomio, Prophetis, & in Euangelio Deus indigentibus à potentioribus iussit præstari, sumus seruaturi, veniat temperanda? Non equidem arbitror id te apud Basilium, Cyrillum, vel Athanasium, Chrystomum, nec vel apud aliquem alium ex Patribus Græcanicæ ecclesiæ, nec apud Augustinum, nec apud Tertullianum, Ambrosium, Hilarium, Cyprianum, vel Hieronymum, sed nec in vllò concilio te id cõperisse, sed nec apud Vlpianum, Labeonē, & Marcellum. Quid negocij est ecclesiæ cum iuris peritis? Est'ne eleemosyna pecunia litigio exposita, vel legistarum legibus non diuinis administranda? minimè equidem. Tui ciuiliu legum periti ex diuinarum legum sanctissima institutione, ex sacrorum canonum prouidentissima dispositione, atque ex conciliorum diuinis oraculis, vel Patrum orthodoxis sententijs didicerunt, quomodo, quatenus, quando, ubi, & quibus esset elargienda eleemosina. Nec opus fuit ecclesiæ Vlpiani, aut Labeonis, vel Marcelli expectare iudicium, vt œconomica rationem eleemosinarum dispensan-

dispensandarum ab illis disceret obseruandam. Verum huic sententiæ verbum quoddam innexuisti, cuius vtinam æqua à te in libri argumento proseguendo habita fuisset ratio, scilicet: Canonum adminiculo qui de hoc negocio disertè & signatè loquuntur, hæc controuersia debet temperari. Sanè libenter suscepissem quòd sacrorum canonum regulas in hoc negocio tractando ac defendendo secutus fuisses: sed multò aliter res se habet. Nam non modò negocij statum nec controuersias circa præsentem causam exortas sacrorum canonum adminiculo non temperasti in hoc tuo libello; nec in alia constitutione Senatus Brugensis auctoritate promulgata, verum eorundem sacrorum canonum summa iniuria & grandi temeritate cuncta quæ illic continentur, sunt à te, & ab alijs fabricata. Vtinam quando apud te statuisti constitutionem illam De pauperibus domi continendis fabricare, in tuum conclaue ad eius formationem faciendam sacrorum canonum adminicula vocasses. Sed quid? Hac procul propulsata, tui cerebri discursus; consilia, ac tandem tuam priuatam deliberationem sequutus, quid potuisti præstare homo externarum disciplinarum, tantum quibusdam suppellectilibus ornatus, nisi id quod controuersias & odiosas cõtentiones pareret? quodque tam esset contradictioni & reprehensioni obnoxium, vt minimè nisi grauata conscientia, & Dei ira in se iustissimè prouocata, Theologi probare possent, quin nefas illis esset non reclamare. Verum vt facile cuncti percipiant te minimè præstasse quod promittis, scilicet, quòd sacrorum canonum adminiculo controuersias eleemosynarum esses temperaturus,

mihi respondeas velim, in quo canone legisti pauperibus Christi interdendam esse iustam & sanctam mendicitatem? In quo canone legisti pauperes peregrinos verè indigentes nostris ciuitatibus esse pellendos? In quo canone legisti quatuor viros esse à Senatu cõstituendos, qui per ciuitatem discurrentes quærant pauperes, miseros & calamitosos, quos si incedentes aut mendicantes deprehenderint, ipsos ad carceres raptos in vincula conijciant? In quo canone legisti quòd ex fidelium eleemosynis his quatuor pauperù fugatoribus, pro vnoquoque paupere quem in vincula coniecerint, sint pro mercede duo numerandi stufferi? In quo canone legisti quòd pauperibus interdicatorum carceris punitione interminata, ne funerales aut nuptiales adeant ædes? In quo canone legisti quòd xenodochiorum bona in Senatus potestatem sint redigenda? In quo canone legisti quòd bini Scabini annuatim emunctis pastoribus ac reliquis viris ecclesiasticis, negocijs pauperum præficiantur? In quo canone legisti quòd in domo ciuica pro causis pauperum dirimendis nouum tribunal sit erigendum? In quo canone legisti integrum esse Christianis maximum pecuniarum cumulum conflare, vt ex fœnorum turpissimis quæstibus pauperes alant? In quo canone legisti, quòd Christianis liceat vsurariam pecuniam pietatis montem appellare, cum reuera impietatis & iniquitatis sit negociatio? Hæc & alia quæ in tuo libro continentur, & in illa constitutione non canonum adminiculo, sed eorum diuina læsa maiestate sunt à te condita, dictata, & typis mandata. Tu inauditos condis canones: homo priuatus librum aude's edere, cuius doctrina

doctrina sacrorum canonum doctrinis maximè aduerfatur, tantum abeft vt eorum adminiculo fit temperata. Tu audes librum euulgare, cuius doctrina publicitus doces, non effe ecclefiasticorum, populis tradere, quando, quibus, quatenus, vbi, quomodo fit à fidelibus elargièda eleemofyna. Hoc tu à Theologis ex fcripturis fanctis, ex conciliorum diuinis statutis, & Patrum digniffimis lucubrationibus difcere, non docere debebas. Hoc non eft Magiftratus prophani, fed facri: miniftrorum ecclefiæ eft hoc munus, non Senatorum. Nihil habent authoritatis leges ciuiles in hanc caufam. Falfò afferis: adminiculo legum ciuilium eleemofynarum cõtrouerfia eft temperanda: leges ciuiles difcernant vniuerfalem & particularem iufticiam: exigant à ciuibus vniuerfis obedientiam: dent vnicuique quod fuum eft: quam diftinctionè (tametsi nos rerum ignorantes impudèter appelles) à philofophis accepimus: intactas rerù facrarum iufticiæ partes relinquunt: Theologi ferant leges Christianis, quando, quatenus, quomodo, & quibus fit elargienda eleemofyna. Inauditum eft, & nufquam vifum, quòd Senatus quifpiam eam functionem præfcribendi leges ciuibus, quatenus, & quomodo, & quibus fit illis distribuenda eleemofyna, fibi vfurpet. Non vides vir bone, grauiffima quæ ex tua oriuntur assertione incommoda? Dicis: Extant, vt dixi, huius rei non obfcuræ præceptiones in Deuteronomio, Euāgelio, & Prophetis. Verùm cum illi generales tantùm fententias & regulas præfcribant, nec indicent fpeciatiim, quando, quatenus, vbi, & quomodo fit præftanda mifericordia, quòd natura hominis varietatè fua fit infinita (legimus enim

esse & intempestiuam, & illiberalem, & ambitio-
sam, & iniustam quoque misericordiam, quæ, vt in
prouerbio est, nihil pene distat ab inimicitia: quod
Ambrosius, & ex nostris Vlpianus, Labeo, & Mar-
cellus probant. Omnis hæc adminiculo canonum,
& legum ciuiliū quæ de hoc negocio disertè &
signatè loquuntur, controuersia debet temperari.
Leges ciuiles tuo iudicio debent temperare man-
data vniuersalia, Deuteronomij, Prophetarum, &
Euangelij de eleemosynis faciendis, vt Christiani
sciant quando, quatenus, quomodo, & quibus spe-
ciatim debeant eleemosynas tribuere. Vbi erat ani-
mus, quando hoc dictasti? Quid in mentem vene-
rat? Quis spiritus in aurem id tibi susurravit? Hære-
tica est hæc sententia, & qui semel eius erroris beni-
gnè admoniti adhuc ipsam tuendam susceperint, hæ-
retici sunt. Iustinianus nec alij Imperatores, nec qui-
uis Magistratus possunt leges particulares condere,
quibus vniuersalia Dei mandata Deuteronomij, aut
in Prophetis, vel Euangelio contenta speciatim il-
lustrent. Id muneris pontificibus primarijs siue ec-
clesiæ columnis, sacris concilijs, & Doctoribus ec-
clesiæ exequendum Christus commisit, non Vlpia-
no, non Labeoni, nec Marcello iuris peritis. Si id igi-
tur legis peritis est integrum, accipite biblia sacra, &
tuos aliorumque tuæ professionis hominum com-
mentarios in ipsa edite. Est hæc tam absurda senten-
tia, tamque sine ratione scripta, vt non possim non
magnoperè admirari, quo pacto Senatus catholi-
cus, cui librum dedicasti, eam potuerit ferre, potue-
rit & episcopus, cuius muneris est in sua ciuitate bi-
bliorum sacrorum diuina sensa immaculata & im-
polluta

polluta conseruare. Videant igitur candidi lectores, quàm iusta mihi in hunc libellum reclamandi fuerit ratio, nec vitio vertât, quod laude & summa commendatione dignum inuenerint. Tu verò libelli author, patiaris te Pauli diuinis instrui documentis, qui tibi & tui similibus dicit: Noli altum sapere, sed time. Et alibi vniuersis Christianianis dicit: Nolite sapere plusquàm oportet sapere, sed sapite ad sobrietatem. Ne iudices viros ecclesiasticos truncos vegetatos, nec tibi adeò vilescant, vt ipsos nullo respectu dignos arbitraris: sunt enim in eo ordine quàm plurimi qui multò fœliciùs quàm tu, & quàm alij qui in subsellijs sedent, rempub. administrare possent, vt qui ingenio, prudentia, longa rerum experientia comparata, & pietate, eruditioneque non contemnenda, quãuis non temeritate nec arrogãtia valeant.

Sed parètesi superioris sententię placet respondere, in qua sic habes: Legimus enim esse & intempestuam, & illiberalem, & ambitiosam, & iniustam quoque misericordiam, quæ, vt in prouerbio est, nihil pene distat ab inimicitia, quod Ambrosius, & ex nostris Vlpianus, Labeo, & Marcellus probant. In sacris libris quædam commemoratur misericordia non modò vituperanda, verùm quæ perpetua Dei reprehensione & damnatione eos qui eam præstant, efficiat dignos. Cuius generis est ea, qua iudices pauperes miserati in iudicijs equitatis pensa peruertunt. Extat in libris sacris singulare Dei præceptum iudicibus à Deo diuinitus datum, vbi distincta præceptio- *Deut. 13.* tione cùm Deus optimus sui populi rempublicam formaret, iudicibus dixit: Pauperis quoque non misereberis in iudicio: hoc est, cùm ius tibi dicendum

*Dent. 19.**De off. lib. 1.
par. 2. caus. 23
q. 4.**1. Reg. 15.**Lib. 12. c. 12.
dist. 45.**Is. 4.*

fuerit, pauperis calamitosa conditio stateras æquitas minimè peruertat. Eadem seueritate Deus optimus præcepit Moyse, ne falsi testis commiseratio eius animum tangeret, quin animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exigeret. Quas scripturas cum Ambrosius pro dignitate perpensas rectè æstimaret, dixit, quod & in Decretis refertur: Est iniusta misericordia. Denique in Lege scriptum est de quodam: Non misereberis illius. Et in libro Regum legitur: quia Saul contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat diuina sententia seruari. Viuis quidem & efficacissimis rationibus persequitur Ambrosius in locis superiùs inductis illud argumentum, in quo probat quàm detestabilis sit ea quam in nepharios atque præfractos peccatores, iudices exercent misericordiam. Cui sententiæ Augustinus in lib. De anima & eius origine ad Petrum, & Gregorius lib. in Iob adstipulantur, Prima parte Decretorum in huius propositi confirmationem à Gratiano annotatam eandem sententiã deprehendimus. Et lib. contra Iulianum Pelagium eandem sententiã Augustinus confirmat: Illa misericordia haud dubiè est intempestiua, illiberalis, & iniusta, quam certiùs perniciem in rempub. grassantem, quàm misericordiam dicendam omnes tum pij, tum prudentes rerum publicarum gubernatores semper iudicarunt. Hanc misericordiam Vlpianus, Labeo, & Marcellus maximè sunt detestati, non eam qua proximorum calamitates dolentes, ipsis iuuan-dis præstamus. Nō igitur est quòd in tui libelli argumenti confirmationem illius misericordiæ intempestiue,

pestiux, atque illiberalis mentionē facere velis, cū illic non eam quæstionem tractandam susceperis, num pauperum flagitiosorum, vel iniquam causam habentium sit miserendum in iudicio, sed alteram ab ea maximè diuersam, scilicet, vtrum bona ea sit misericordia ac fructuosa, quam pij fideles in pauperes quouis tempore, quacunque diei hora, & cuiuscunque fuerint pauperes conditionis exercuerint. Sed quando oportunissima datur dicendi ratio de misericordia intempestiua, illiberali, atque iniusta, libet tantisper in huius iniquissimæ, misericordiæ detestabili vsu immorari, & quando reuera, & in quorum hominum causis illius misericordiæ suauitatem vel indulgentiã admittere nephas sit, & grande piaculum, ostendere. Sunt enim iudices, sunt etiã Senatus in ciuitatibus, vel in prouincijs præsides à primarijs & supremis Magistratibus constituti, qui hæreticos comprehensos tanta benignitate & misericordia tractant, vt in suis causis inquirendis aut iudicandis, iudicis deposita persona, amici suauissimi animum induant. Sunt item alij, qui cū ipsis ius dicendi in omnes nepharios homines & scelestos data sit facultas, hæresim non tanti faciunt, vt criminis alicuius rationem vllam in se continere arbitrentur, nec existiment hæreticos vllum incommodum ciuibus, nec ciuitatibus adferre, proindeque eorum punitionem negligunt, eorumque quæ ad ipsos deferuntur accusationes surda prætereunt aure. Sunt denique alij, qui tametsi catholici sint, hæreses pectoribus Christianorum reuulsas maximè vellent, indignum tamen & inhumanum ipsis videtur, homines in speciem probos & integros (qui reuera

nepharij sunt, & in animarum, corporumque, & omnium fortunarum hominum perniciem nati) extremo supplicio afficere. Quod prauum iudicium scripturarum sacrarum suffragio audent falsò exornare: dicunt enim gladij vsum Petro à Christo interdictum, addita etiam acri & seuera cōminatione, fuisse. Quanta pestis inde consecuta vniuersas Germanorum, Anglorum, & Gallorum prouincias peruaferit, iudicauerint sanè illi, qui strages, direptiones, tumultus, seditiones, ac miserandas & inauditas cædes, quas olim in vniuersis Orientalibus prouincijs, & nunc proximè in his quæ commemorauimus regnis Galliarum hæretici crudelissimè ediderunt. Quibus si in tempore occursum fuisset, è medio talium scelerum authores iudicium autoritate ac diligentia sublatis fuissent, non eò prorupissent furoris, & vesaniae, vt audacia incredibili reges ac vniuersos principes suis sedibus modò tentent exturbare, ciuibus suauissimam serenitatem adimere, vniuersam rempublicam Christianam perturbare, ecclesiasticum ordinem detestantur, viros ecclesiasticos neci datos in compitis, tuiijs ac plateis inhumatos relinquunt: religionem catholicam funditus vellent euersam: ecclesiae, & ciuum honestissimorum fortunas raptas in suas libidines explendas profundunt, & alijs atrocioribus factis ciuitates quæ ipsis parent, fœdant atque conspurcant. Quæ omnia ita se habere facile conperiet, qui viros exules Gallos, vel Anglos consuluerit. Huic hominum generi sunt Seuatus, suntque alij uiri ciues honesti, qui misericordia ducti fauent: sunt etiam qui opem ferant. Verùm hoc ipsis audeo ominari, talium hominum fautores primos futuros, in quos ipsi hæretici suam crudelitatem exercere de-

beant, quamuis cum ipsis verè, aut fictè sentiant: ipsi primi in præmium iniustæ, illiberalis, atque intempestivæ suæ misericordiæ ab illis sunt relaturi omnia illa mala, quæ hæreticorum inaudita excogitauerit libido. Verùm sacrorum librorû testimonijs horum misericordiam damnatam, & quæ in tales hæreticos exercetur seueritas, maximè laudatam, & præmijs honorificentissimis non modò humanis, verùm etiã diuinis à Deo esse remuneratam ostendamus, vt in posterum iudices, qui in tales homines (quos veriùs pestes dixerim) animaduertere decreuerint, non crudeles, nec sanguinarij, sed Christiani & æquissimi iudices ab omnibus prædicentur. Fuit ne crudelis & sanguinarius Moyses, quando audita populi idololatria, cōfregit tabulas, obiurgauit Aaronem, filijsque tribus Leui dixit: Ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, feceruntque filij Leui iuxta sermonē Moysi: ceciderunt in die illa quasi tria millia hominū? Fuit ne crudelis & sanguinarius Moyses, quādo puer adhuc occidit Ægyptiū cum altero Iudæo litigantem? Fuit ne sanguinarius & crudelis Iahel, quando Sisaram inimicorum ecclesie occidit ducem? Fuit ne sanguinarius & crudelis Iepte dux Israëlitarum, quando Spiritu Dei accensus interfecit Ammonitas, & ipsis fortunas, & terram ablatas sibi suisque militibus reseruauit? Fuit ne crudelis & sanguinarius Samson, quando maxilla asini occidit mille Philisteos? Fuit ne crudelis & sanguinarius Samuel Dei sacerdos, quando Agag regi Amalech dixit: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres

Exodi 32.

Exodi 2.

Exodi 4.

Iud. 11.

Iud. 15.

1. Reg. 15.

1. Reg. 37.

3. Reg. 2.

4. Reg. 1.

mater tua : & in frustra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis ? Erat ne crudelis & sanguinarius David, quando profugus in Sicelech percutiebat omnem terram, nec relinquebat viuentem virum & mulierem, tollensque oues, & boues, asinos, & camelos, & vestes, reuertebatur ad Achis, nec viuificabat virum, nec mulierem ? Fuit ne crudelis & sanguinarius David, quando iam iam moriturus, & testamentum conditurus Salomoni filio suo dixit: Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amase filio Iethel, quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in baltheo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento, quod erat in pedibus eius : facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos ? Fuit ne crudelis & sanguinarius Elias, quando quinquagenarios illos ab Ochosia rege ægrotante ad se missos igni cælesti imprecato deuorandos orauit, quamuis amica interpellatione ab illis semper fuisset vocatus ? Minimè quidem. Sed quid ? omnes hos viros sanctitate ac pietate insignes à Deo in libris sanctis celebratos legimus, ob eaque facta egregiam laudem, nullam tamen reprehensionem retulisse à Deo, & cunctis mortalibus scimus, erantque haud dubiè Christiani, erantque sacerdotes & prophetæ, ac Dei reges, & iudices in suo populo diuinitus constituti : quare igitur sacerdotes qui nostro hoc sæculo contra lupos hæreticos in ouicularum Dei animas atrociter seuientes reclamant, & iudices qui optimo iure hos plectunt, sanguinarij & crudeles sunt dicendi ? Nulla profectò

profectò saltem Christiana ratio permittet viros ta-
 les, qui de Christi religione amplificanda solliciti
 assiduè cogitant, & eandem in sua antiqua puri-
 tate retinere contendunt, talibus infamari nuncu-
 pationibus, & indignis blasphemijs proscindi. Ve-
 rùm scio quid aduersarij obijcere possint, scilicet,
 tunc Christi Euangelium nondum fuisse promul-
 gatum, Mosaica tantùm imperabat seuera potestas,
 non Christi suauissima gratia. Verùm & his futili-
 bus obiectionibus diluendis Euangelicæ historiæ
 præstantissimas nobis subministrant materias. Fuit *Math. 21.*
 Christus Euangelicæ lenitatis author, & vberimus
 fons, interim tamen vendentes & ementes flagellis
 acriter percussis templo eiecit, eorundemque cathe-
 dras euertit, & dura increpatione reprehensos latro-
 nes pronunciat. Fuit & Petrus ecclesiæ caput Euan-
 gelicæ doctrinæ singularis cultor, & Christum au-
 dierat dicentem: Discite à me, quia mitis sum & hu-
 milis corde, interfuitque concioni, quando Christus
 dixit in monte: Beati mites, quoniam ipsi posside-
 bunt terram: nihilominus tamen is diuinus Christi
 Apostolus ob vnus mendacij turpissimum vicium
 Ananiam cum Saphira vxore repentinæ neci datos *Act. 5.*
 castigat. Paulus item Petri collega, & inauulsus co-
 mes, Christi magnus Apostolus fornicarium Corin-
 thium diuino Spiritu afflatus sathanæ in interitum *1. Corinth. 4.*
 carnis tradidit: alios etiam se tradidisse sathanæ ad
 Timotheum scribens ait, vt discerent non blasphe- *1. Timoth. 1.*
 mare. Quod argumentum luculenter satis Augu-
 stinus lib. contra literas Petilianii prosequutum no-
 bis reliquit, & alijs quàm plurimis locis, quæ suo
 loco latiùs à nobis annotabuntur. Hi viri sanctissi-
 mi

mi Christi vnici præcones nulla flectebantur misericordia, nec frangebantur commiseratione, quando de illis hominibus iudicandis agebatur, quorum vita, aut doctrina, vel mala exempla cæteris Christianis excidium & certum interitum parere poterant. Non enim expectauit Petrus vt Ananias resipisceret, nec vt Saphira meliùs saperet, sed mox diuinæ iusticiæ gladium in vtrumque distrinxit. Discant iudices sibi non esse integrum misericordiæ aut commiserationis teneras rationes secum admittere, quando ius dicturi subsellia conscenderint, præsertim contra hæreticos, qui præter certissimam perditionem, atque æternam quam animabus catholicorum suis falsis doctrinis solent adferre, incredibile est dictu, quàm horrenda & nefanda sint scelera, quæ vel in suos fautores committere solent, cum semel tyrannide ciuitates occupauerint. Testatum satis nobis hoc reliquerunt calamitates illæ funestæ, quas Aurelianenses in Gallia, & Rotomagenses in Normandia, & alia oppida annis superioribus ab hæreticis, qui illas inuaserunt, coactæ sunt ferre. Bone Deus, quis dicere posset, quàm fœdis & iniquis violentijs virgines ab hæreticis vitiatæ fuerint, quàm turpiter matronæ coniugatæ eorundem libidinibus præsentibus etiam maritis prostitute fuerint, quanta crudelitate bona sua direpta, domos in equorum, & militum stabula conuersas, vel in propugnacula erigenda dirutas, templa demolita, eorum sacra vasa ablata, non equidem in ciuium, aut ciuitatum commodum vel splendorem exponenda, sed in suas proprias exuiscerationes, neces, & ruinas efficiendas conflata! Alia sunt multò atrociora ab illis hominibus illic commissa,

commiffa, qui fuo tempore qui oculati eorum exifterunt testes, magno dolore historia contexta, nobis legenda dabunt: quæ fi Senatores illarum ciuitatum probè fuis muneribus functi fuiffent, facilè vitauiffent. Verùm ipfi magno fuo malo poft hac erunt cautiore, illiberalifque, & iniuftæ fuæ mifericordiæ regi fuo temporales pœnas dederunt, daturi autem Deo æternas, cùm iudex ſæculorum iudicandi tempus acceperit, & iufticias fuerit iudicaturus. Huius iniuftæ mifericordiæ, quæ à plerifque Senatoribus dum hæreticorum caufas tractant, in fuif iudicijs adhibetur, turpitudò & manifeftum periculum tui Senatus gubernatoribus ex officio tibi frequenter vt illam deteftarentur, & hoc vitarent, erat proponendum: non in hoc pauperum negocio. Conftat enim apud omnes viros doctos, deque rebus noſtræ fidei bene inſtitutos, nos quando elecmofynas interna & Chriftiana commiferatione petentibus propter Deum largimur, minimè noſtra mercede fraudandos, quamuis peſſimi ſint, ac perditiffimi nebulones, qui malis artibus ea beneficia à nobis extorſerint: nunquam enim erit iniuſta, nec illiberalis, aut intempeſtiua illa mifericordia, quam propter Deum hominibus cuiuſcunquæ ſint cõdicionis, præſtamus. Tritum eſt illud Ariſtotelicum reſponſum, ſciſcitantibus ab eo, cur viri improbi & pauperrimi nuditate algenti hieme exornaffet, datum: quibus dixit ſe hominis, non moris miſertum fuiſſe. Chriſtus item dixit: Quicumque enim vnum ex his in nomine meo ſuſceperit, me ſuſcipit. Non ſunt beneficia in pauperes ſui gratia, ſed propter Chriſtum ex charitate conferenda. Sunt enim quàm plurimi (quod affirmare

non

non verebor) æternam beatitudinem promeriti, e-
 leemosynis & beneficijs etiam indignis hominibus
 propter Deum ex charitate largitis: tantum abest, vt
 talis misericordia illiberalis, aut intempestiua, vel in-
 iusta veniat dicenda, illis hominibus data, quorum
 improbitas nobis non est manifesta. Si dignis tan-
 tum & non alijs largienda nobis essent beneficia,
 inquisitores sanè non largitores nos esse oporteret.
 Discant igitur omnes Christiani misericordiam pro-
 pter Christum omnibus calamitosis præstare, & iu-
 dices, humanam & carnalem, quam hæreticis præ-
 stant, procul à se repellere, quando eorum odiosas
 & nepharias causas iudicandas susceperint, ne ipsis
 si hæreticorū miserti fuerint, Deus opt. suo iusto iu-
 dicio dignitatem amplissimam auferat, & ipsos, suas-
 que ciuitates in miserandam captiuitatem Turca-
 rum, vel hæreticorum inducat. Quod olim Sauli pri-
 mo Iudæorum regi sacri libri, & quàm pluribus a-
 lijs principibus prophanæ literæ contigisse testan-
 tur. Huius illiberalis & iniustæ misericordiæ dete-
 stationem vt animo complectantur Senatores Bru-
 genses quibus modis efficere possis, persuadere co-
 naberis, vt ea ratione florentissimum suæ ciuitatis
 statum iusto quamuis inscrutabili suo iudicio iam
 pridem ipsis ademptum Deus optimus sanctis suis
 officijs placatus restituat.

Sequitur in l. De continendis domi pauperibus.
*Verum enim est Euangelium ipsum non sufficere ad de-
 cisionem omnium casuum emergentium, leges que in
 hoc esse scriptas & promulgatas, ac proinde equè con-
 scientias nostras obstringere, vt non sint audiendi re-
 ligiosi aliquot, qui reprehensi de transgressione Legis,
 dicunt*

dicunt coram Deo sibi satisfacere suas conscientias.

Præpostera est tua hæc sententia, & grandi Evangelij dignitati non exiguam irrogat iniuriam. quid enim audaciùs vel absurdiùs vnquam dici potuit, quàm: verum est Euangeliũ non sufficere ad decisionem omnium casuum emergentium. Videtur ne tibi, quòd si cuncti mortales suæ vitæ actiones iuxta Evangelij regulas instituerent, quòd Euangelium abundè sufficeret ad omnes qui emergerent casus, quantumuis sinuosos & implicatos decidendos? sufficeret equidem, abundèque sufficeret. Cupiditas insatiabilis, malicia humana, iniquitas, & varia hominum libido, atque ambitio, & ignorantia fomentum præstiterunt legislatoribus tot legibus condendis: quibus multò satiùs, & honestius caruissent mortales, si leges Euangelicas (quod debebant) singulari obseruassent religione. Enimvero neminem sanæ mentis negaturũ arbitror leges illas Euangelicas, scilicet, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: & quod vultis vt faciant vobis homines, hoc & vos facite illis, non módò sufficientes esse omnibus casibus emergentibus descendendis, verùm tam esse præstantes, vt si semel animo religiosè custodirentur, nullo pacto emergere casus sinerent, quibus dirimendis leges humanæ essent necessariae. Itaque scire te ac reliquos vniuersos iurisperitos oportet, Euangelium implicite sufficientissimas leges continere ad omniũ qui vnquam emergere possent casuum decisionem.

Sequitur in libello De subuentione pauperum.

Memnisse illos decet iusticia quatuor esse partes, vnã exemplarem, alteram politicam, tertiam purgatoriam, & postreimam quam formatam vocant: & particu-

○

laria

laria iudicia, de contractu, usurarum, decimarum, matrimoniorum, votorum, & formis, equalitate, & iusticia, non ex sacra scriptura peti debere, sed ex civilibus legibus.

Iniquè admodum facis, dum ecclesiasticis tribunalibus istarum causarum cognitionem ademptam esse cupis, & velles, si posses. Et sanè nisi inter catholicos in catholica ciuitate catholicè ageres, prorsus existimarem te tribunalia ecclesiastica euertere velle, ecclesiasticasque causas, & ecclesiasticos viros ad Senatum, cui inseruis, iudicandos velle reuocare: cuius tu non obscuram edis demōstrationem. Verùm absit vt hæc tam noxia de te, nec de alio (nisi mihi apertius constiterit) animum meum subeat opinio. Dicis tamen iusticiam, formam, & æqualitatem matrimoniorum, votorum, decimarum, usurarum, non ex sacris scripturis, sed ex civilibus legibus esse petendas. Vnde amabo Christianis recta iusticia, & vera matrimoniorum forma erit inquirenda atque expectanda, nisi ex sacris scripturis, vel ex riuulis inde fluentibus, quales sunt sacri canones, conciliorum sanctissima oracula, & Patrum ecclesiæ diuinis lucubrationibus? Hoc tibi validè persuadeas, sacerdotes supremos esse iudices à Domino constitutos, qui soli, quæ sit vera & recta matrimoniorum iusticia, ac forma, pronunciare debeant, adeò vt quicumque istius sacramenti causarum primariam cognitionem sacerdotibus adimere tentauerit, diuini iuris se esse audacem violatorem oportet intelligat. Vt autem clariùs percipias non solùm sacros canones, verùm etiam ipsam scripturam sacram leges particulares continere, quibus iusticia matrimoniorum inuesti-

gata

gata sit à sacerdotibus, quando perdita fuerit fidelibus pronuncianda, diligēter observa scripturas, quas in huius assertionis cōfirmationem nunc subiiciam. Prima institutio matrimonij Genes. 2. cap. continetur: vbi legimus, *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam: dixitque Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* En tibi matrimonij primariam institutionem, & diuinam, eiusque iusticiæ regulas vniuersales etiam aduerte. Prima regula, in qua sacramenti matrimonij admirabilis refulget iusticia, hæc est, scilicet: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: secunda regula vniuersalis est, quòd duo sint futuri in carne vna.* Rectè igitur ecclesia huius scripturæ fulcris subnixata statuit vtrumque coniugem celebrato matrimonio proprios debere parentes relinquere, vt vxori maritus inauulsus vitæ & perpetuus existat comes. Et inde secundum subsequitur, scilicet, quòd duo sint futuri in carne vna. Qua sentētia concordia illa incomparabilis, mutuaque beneuolentia, quam hoc matrimonij requirit sacramentum, mirificè confirmata declaratur. Christus autem matrimonij primariam institutionem confirmans, leges etiam aliquot condidit in huius sacramenti casibus qui emergerent seruandas, vt matrimonij iusticia semper sibi constans præemineret: quæ si mortalium malicia inuolui, aut obscurari, vel corrumpi contingeret, harum diuinarum legum adminiculo

inuestigari atque inueniri facilè posset . Mathæus
 igitur refert quòd Pharifæi accesserunt ad Iesum ten-
 tantes eum , & dicentes : Si licet homini dimitte-
 vxorem suam quacunque ex causa ? qui respondens
 ait eis : Non legistis quia qui hominem fecit ab ini-
 tio masculum , & fœminam , fecit eos ? & dixit : Pro-
 pter hoc dimittet homo patrem , & matrem , & ad-
 hærebit vxori suæ , & erunt duo in carne vna , itaque
 iam non sunt duo : sed vna caro : quod ergo Deus
 coniunxit , homo ne separet . Quid ergo Moyfes man-
 dauit dari libellum repudij , & dimittere ? Ait illis :
 Quoniam Moyfes ad duriciem cordis vestri permi-
 sit vobis dimittere vxores vestras : ab initio autè non
 fuit sic : dico autem vobis , quia quicumque demise-
 rit vxorem suam , nisi ob fornicationem , & aliam du-
 xerit , mœchatur . Dicunt ei discipuli eius : Si ita est
 causa hominis cum vxore , non expedit nubere . Qui
 dixit illis : Non omnes capiunt istud verbum , sed
 quibus datum est . Refert etiam Matthens Christum
 aliam condidisse legem pro matrimonij verà iusti-
 cia tuenda , quando dixit : Audistis quia dictum anti-
 quis : Non mœchaberis : ego autem dico vobis , quia
 omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum
 eam , iam mœchatus est eam in corde suo . Et paulò
 inferiùs : Dictum est autem , Quicumque dimiserit v-
 xorem suam , det ei libellum repudij : ego autem di-
 co vobis , quia omnis qui dimiserit vxorem suam ,
 excepta fornicationis causa , facit eam mœchari , &
 qui diuissam duxerit , adulterat . Vide amabo quàm
 claras leges Christus in sua doctrina Euangelica pro
 matrimoniorum causis decidèdis , ac pro eorundem
 recta iusticia pronuncianda nobis conditas relique-
 rit .

Matth. 19.

Matt. 5.

rit. Sed audias adhuc alias scripturas factas, ex quibus planè deprehendes, quam aduersam veritati sententiam tuo libello dictatam edideris. Paulus ita habet: De quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat: vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro: mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego: quòd si non se continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri. Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir vxorem non dimittat: nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sanctificati sunt: quòd si infidelis discedat, discedat: non

enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi, in pace autem vocauit nos Deus: vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? nisi vnicuique sicut diuisit Dominus, vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus ecclesijs doceo. Petrus etiam in priori sua epistola ita dixit: Mulieres subdite sint viris suis, & viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. Videtur ne tibi sapienter dictum, quod matrimoniorum iusticia & forma non ex sacris scripturis, sed civilibus legibus sit petenda, quando tales in ipsis scripturis sacris extant loci, qui, si pietatis essemus veri cultores, abundè sufficerent omnibus controuersijs matrimonialibus dirimendis, veræque iusticiæ & matrimonij formæ inueniendis? Hinc profluxerunt aliæ quàm plurimæ leges summorum pontificum, & conciliorum diuina authoritate constitutæ, in suis canonibus contentæ, quibus quæ sit vera iusticia, forma, & matrimoniorum æqualitas euidentissimè omnibus constabit. Tales leges contentas legimus in decretis opera & industria Gratiani ex sanctorum Pontificum responsis, & conciliorum diuinis decretis, atque ex aliorum ecclesiæ Patrum sanctissimis doctrinis collectas, & pulcherrimo digestas ordine: quas etiam ex sacris scripturis decerptas ipsarum scripturarum sanctarum suffragijs & authoritate constabilitas pontifices supremi, Patresque in concilijs Spiritu sancto afflati, & in suis peculiaribus scriptis condiderunt. In his locis superiùs inductis planè monstran-

1. Pet. 3.

2. Decr. p. 9. 1.
& 2. c. 29.

C. 30. 9. 1. 2.
3. 4. 5. & c.
31. 9. 1. 2. 3.
& c. 32. 9. 1.
2. 3. 4. 5.

monstran-

monstrantur, quæ sint requisita ad veram matrimonij iusticiam & formam efficiendam, quæ item intercedere possint legitima matrimoniorum impedimenta, qui errores, quæ denique alia incommoda, quæ coniugum mutuam dirimant coniunctionem. Non igitur ex legibus ciuilibus, sed ex sacris scripturis, vel ex diuinis traditionibus, vel conciliorum decretis, aut Patrum lucubrationibus talis matrimoniorum iusticia & forma est inuestiganda atque petenda. Nisi forsan negare velis matrimonium sacramentum esse, sed ciuilem contractum. Miror enim quo pacto animum tuum non subiuerit illa consideratio, scilicet, matrimonium verum esse sacramentum. Omnium autem sacramentorum quæ legitima sit forma ac materia, pontificis supremi Christi ac Petri vicarij est declarare. Ecclesiæ leges, non ciuiles sunt nobis consulendæ, vt ex ipsis discamus quæ materia matrimonij sacramento verè possit inseruire, quæ autem in ipsius celebritate reijcienda veniat. Ecclesiasticas leges iudices nos constituere oportet, quando de vera ac legitima matrimoniorum forma aut iusticia inuenienda agitur, non ciuiles. Harum enim legum scepro ac foro subijciuntur personæ externè contrahentes, vel contractu matrimonij sacramentum profiteri recusantes, adeò vt quando ecclesiasticum tribunal matrimonij alicuius controuersi causa pro altera parte discreuerit sacrarum scripturarum sententijs consultis, pronunciataque sententia stauerit matrimonium quod controuertebatur, verum esse ac legitimum sacramentum, ob idque à personis controuertentibus celebrandum fore: si hi proteruia & audacia ecclesiæ iudicibus ius dicentibus

parère recusauerint, prophani iudices ciuiliū legum seueritate, gladioque sibi diuinitus dato, cuius authoritate Dei sunt vindices in eos qui malè agūt, ipsos ad ea præstanda compellant, quæ ecclesiæ iudices ipsis facienda præscripserunt. Proindeque consultius & religiosius fuisse locutus, si ciuiles leges, iudicesque prophanos diuinarum ecclesiasticarumque legum quæ circa matrimonia sunt constitutæ, exequutores esse diceres, quàm matrimoniorum iusticiæ & formæ fontes, ad quos Christianos matrimoniorum veram iusticiam & formam petituros remitteres. Subijciuntur etiam ciuilibus legibus res dotales, & controuersia quæ circa dotium & fortunarum in matrimonio acquisitarum dominium exortæ fuerint, legum ciuiliū adminiculo sunt dirimende, non sacrarum scripturarum suffragijs. Christus enim fratribus à se petentibus vt ipsis hæreditatem diuideret, respondit: Quis me cōstituit iudicem inter vos? Denique si inter ciuiles leges aliquot reperiantur, quæ de vera matrimoniorum iusticia & forma aliquid definire videantur, eas ex sacris regulis desumptas esse scias per viros vtriusque iuris peritos, qui sacrorum canonum amplissimis ornamentis leges ciuiles, vt maiorem ipsis conciliarent dignitatem ac maiestatem decorandas existimauerunt. Non enim natura legum ciuiliū, quæ pro matrimoniorum causis sunt conditæ, eò spectant, vt ciuibus quæ sit vera matrimoniorum iusticia, & forma declarent: sed quo pacto hæc vera iusticia & forma in ecclesiastico tribunali pronunciata, ab ipsis ciuibus debeat obseruari, demonstrant. Docent ciuiles leges ciues quid ipsos facere deceat: docentque iudices in quos

&

& quando, & quatenus potestate diuinitus sibi data animaduertere debeant: in istaque animaduersione facienda cuiuscunque sit cause, ne errantes iudicium peruertant, ex ciuilibus legibus, non ex sacris scripturis formam & iusticiam petere debent. Petent etiam quando pro alterius cause decisione (si prophana fuerit) ius sibi dicendum fuerit: sed nec vsurarum formam aut iusticiam ex sacris libris, sed ex legibus ciuilibus petendam permittis. Quæ sententia quantum veritati diuinarum scripturarum, ac sacrorum canonum, & pontificum decretis aduersetur, mox demonstrabimus. In primis diuinarum scripturarum tam veteris quam noui testamenti auctoritate consultum est vt Christianis Christiani indigentibus mutuò dent: cautum est tamen eadem diuina auctoritate, ne Christianus à Christiano ex mutuo fœnus exigat. Deut. 23. talem circa hanc materiam à Deo optimo conditam legimus: Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: fratri autem tuo absque vsura id quo indiget, commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam egredieris possidendam. Et Christus legislator Euangelicus hanc eandem confirmauit legem, quando suis discipulis dixit: Mutuum date, & nihil inde accipientes. Cuius generis est illa Christi sententia apud Matthæum relatâ, scilicet, Qui autem petit à te, da ei, & volenti mutuare à te, ne auertaris. Leges igitur diuinæ tam noui quam veteris testamenti sunt, quæ vsurariam negotiationem prorsus inter Christianos exerceri verant, non ciuiles: has enim apud omnes eruditos constat in Ethnicismo

Deut. 23.

semper vsurarios permisisse quæstus, adeò vt vel homines illos, qui inter Gétiles externarum virtutum splendore conspicui, & religiosissimi semper fuerunt habiti, his fœdis vsurarum quæstibus fortunas suas augere maximè cõntenderint. De Seneca literis externis proditum est, in Anglia atque Italia talenta aliquot aurea his lucris faciendis occupata habuisse, idemquæ de alijs affirmare possemus, quod de industria, quia proposito negotio non vsque adeò congruat, prætereundum duximus.

Vniuersales has leges, quibus Deus optimus in veteri, ac Christus in nouo testamêto vsurarias commutationes Christianis singulari seueritate exercendas interdixerunt, pontifices ecclesiæ Christi, ac Petri vicarij (quibus ex diuino iure scripturarum sacrarum vltima incumbit elucidatio) singularibus quibusdam regulis seu canonibus pressius constitutis illustrarunt. adeò vt doctrinæ, quæ illis præceptis vsuras prohibentibus implicite comprehendebantur, Patres ecclesiæ vniuersalis, Romani pontifices, & concilia vniuersalia, vel particularia, distincta atque explicata ratione digestas nobis Christianis religiosè obseruandas tradiderunt. Vnde in decretis ex commentarijs Augustini Gratianus collegit definitionem veræ vsuræ: dicit enim illic Augustinus, Si fœneraueris homini, id est, si mutuò dederis pecuniam tuam à quo plus quàm dedisti, expectes, non pecuniam solam, sed aliquid plus quàm dedisti, siue illud triticum sit, siue vinum, siue oleum, siue quodlibet aliud, siue plus quàm dedisti, expectes accipere, fœenerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. Idem Gratianus in eadem secunda parte decretorum

*Parte 1. c. 14.
quest. 3.*

*Parte 2. c. 14.
quest. 3.*

torum ex Hieronymo probat esse vsuram quicquid super datum exigitur. Quam doctrinam idem Gratianus locis superiùs inductis mirificè fulcitam auctoritate Ambrosij in libro de Tobia, & concilij Agatensis nobis reliquit. Pòst idem Gratianus id decretis probat nemini esse integrum vsuras expetere, conuincitque diuinis conciliorum decretis, & sanctorum Patrum admirandis oraculis non tantùm in clericis, verùm etiam in laicis damnabilem esse vsurarum negociationem. Docet item idem Gratianus ex concilijs, ac Patrum eruditissimis lucubrationibus pleraque alia, quibus quæ sit vera iusticia & forma vsurarum euidentissimè cognoscitur, ac quando iustè fœnora Christianis expetere liceat, quatenus, quomodo, & qua ratione. Hinc ex sacris scripturis (quæ vnicae sunt demonstratrices veræ iusticiæ) & non ex ciuilibus legibus petendum est, quæ sit vera vsurarum iusticia, atque recta earundem forma. Porò autem vt certius intelligas, quàm procul à veritate tua assertio sit sita, quæ sequuntur paulò attentius perpendere dignaberis. Magistratus prophani diuina auctoritate supremi constituti potestatem habent legum ciuilium condendarum: deprehenduntur tamè publica omnium regum, ac multorum Imperatorum, & omnium principum, & Senatuum auctoritate aliquot leges circa hanc vsurarum materiam constitutæ, quæ nullam iusticiam prorsus, quin maximam iniusticiam in se continent: non enim habent iusticiam exemplarem, nec politicam, nec purgatoriam, nec formatam. Nec in vniuersalibus, nec in particularibus iudicijs vllam habent æquitatem: quarum vnã aut alteram in medium proferam.

*Lib. 6. super
Ezech. cap. 18.*

Ad cap. 14.

*Parte 2. q. 4.
c. 14.*

Q. 5. & 6.

*Iuo etiam re-
fert libro 3.
De vsuris.*

*2. par. Decret.
ca. 14.*

proferam. Omnes leges, quæ in fœneratorum & v-
 ſurariorum fauorem sunt latae, quam iusticiam, etsi
 vniuersalia, & particularia iudicia spectare velis, in
 se habent? nullam profectò. Publica auctoritate san-
 citum est in singulis regnis, atque in vniuerso impe-
 rio Germanico, & cõmuni omnium regnorum con-
 cessione receptum est, vt fœnora exercere volentes
 duodecimum nummum ex vsu centesimi, & non vl-
 tra impunè exigere possint. Hæc lex nullam habet
 profectò iusticiam, nec exemplarem, nec purgato-
 riam, nec eam quam vos formatam soletis vocare,
 sed nec politicam. Quod sic probare contendam: om-
 nis iusticia siue exemplaris sit, vel purgatoria, siue
 politica, aut formata, quicquid iusticiæ, aut æqui-
 tatis habet, id ex diuinis autem legibus exhaustum
 necessum est habeat: diuinæ autem leges nusquam
 permittunt vt Iudæus ex Iudæo, nec Christianus ex
 Christiano propter mutuam vsurariam mercedem
 repetat, quin æterna ac temporali punitione Deus
 plectendos voluit, qui suarum legum & huius etiam
 prauaricatores existerent. Vnde igitur si non ex di-
 uinis scripturis, legibus ciuilibus hæc iusticiæ digni-
 tas accedere potuit, cùm diuinum habeant Dei o-
 ptimi ac Christi Iesu in suam iniquitatem manda-
 tum perpetuò reclamās? Nec est quòd quispiam ex-
 istimet idcirco vsuras esse licitas siue cambiij, vel al-
 terius negociationis ratione fiant, quia publica prin-
 cipum auctoritate permissæ exercentur: illa enim
 principis negociandi permissio non potest iniquam
 atque iniustam negociationem iustam & æquam fa-
 cere. sed quid? illa eadem principum negociandi per-
 missio vsuraria negotia accusat, damnat, atque iniqui-
 tatis

tatis conuincit . Nam cùm diuinarum legum auctoritate sit cautum, ne quisquam sit inter Christianos, qui vsurarios quæstus facere præsumat, legesque ciuiles diuinarum legum amplissimam dignitatem reuerentes ac zelantes, fœneratorum bona proscribenda iusserint, ipsosque alijs pœnis plectendos decreuerint propter diuinas leges temeratas, pœnarumque exequutio iudicibus incumbat efficienda, Magistratus ob causas aliquot, quas nec iusticiam vllam, nec honestatē aliquam habere sciunt, sed reipublicæ statui aliqua ratione oportunas arbitrantur, indulgent illis fœneratoribus pœnas illas, quas ob vsurarum crimen erant subituri . Vnde iure optimo inde inferimus, principum permissionem non esse in fœneratoribus culpæ & reatus, qui est in anima, quique eam damnationi æternæ ob fœnus obnoxiam facit, expiationem, sed temporalium pœnarum, non æternarum remissionem atque relaxationem. Non enim suspendio, nec cruce, vel alterius mortis genere iudex fœneratorem, quem leges damnant, afficiet, cui ex sua permissione integrum est fœnerari. Nec idcirco impietatis aut iniquitatis iudices veniunt insimulandi, vtpote qui nec eos homines in eam fœnerandi sententiam inducant, nec fœnora probant, sed vt ciuum commoditatibus consulât, & ne fœneratores multi crudeliùs clam ciuum fortunas inuadant atque diripiant, vnum publicè permittunt, qui fœnora impunè exercere in ciuitatibus possint. Vtuntur hac in causa (quod Christianis licet) bene alterius malo: quod Augustinus Deū facere perpetuò affirmat, qui sua admiranda & incomparabili sapientia nouit bene nostris malis, id est, nostris peccatis

catis vti . Iudices enim prophani animarum curam non suscipiunt, sed corporum tantum, ac rerum externarum: episcopo, pastoribus, ac cæteris ecclesiasticis Dei ministris hæc animarum, & spiritualis est diuinitus demandata prouincia : hi possunt ac debent in tales spirituales gladium districtum vibrare, Diris- que tales duros & impœnitentes peccatores vouere. Idem etiam de legibus, quæ meretrices non tantum in ciuitatibus permittunt, verum etiam alitunde accersiri consulunt, est iudicandum. quam enim iusticiam in singularibus iudicijs fœneratores, atque meretrices, illi in sui fœnoris, hæc autem in suarum meretricationum defensionem se inuenturos sperabunt : si pietatis & æquitatis, legumque diuinarum cultores sint iudices? nullam sanè, nec exemplarem, nec politicam, nec purgatoriam, nec formatam. Sed forsân causificabis politicam iusticiam his hominibus patrociniū polliceri . nec hoc est permittendum, quamuis ex vestris iurisperitis recentioribus nonnulli sint, qui hæc fœnerandi, aut fornicandi, vel ludendi vicia, quando à Magistratibus sunt in republica permissa, iusticiæ præclarissimo nomine exornare præsumant . Scis tu, sciuntque omnes tuæ facultatis disciplinarum professores, iusticiam vocè esse diuinam, hominibus diuinitus datam in mortaliū vnicū & præstātissimum beneficium, & in virtutum fauorem atque defensionem, quæ etiam inter reliquas alias quatuor virtutes principem locum suo magno iure occupat . Huius virtutis officium est, perpetua & seuerissima insectatione vicia accusare, arguere, damnare, conuincere, ac tandem debita animaduersione plectere: cum autem fœnerari, mœ-
chari,

chari, atque ludere vicia sint, & grauissima crimina, quæ non semel certum excidium regibus, ac ciuitatibus attulerunt, in quæ tanquam in capitales hostes iusticia semper, & vbique suas vires explicat, & sua reclamando intorquet arma: qua igitur ratione in tribunalibus iusticiæ, iusticia his vicijs & fœdis criminibus suum poterit præstare patrocinium vel defensionem? nulla certè, nisi priùs vsuras, fornicationes, & aliam virtutes feceris, vel iusticiam vicium, & fœdum crimen ostenderis, vt inter ipsas bene conueniat, & iusticia illa nefaria vicia in suam cliētalam & protectionem tuenda suscipiat: quod fieri minimè poterit. proinde nec membrum illud iusticiæ, politicum scilicet, vsuris fauere vnquam poterit. Fateberis non dubito, quòd Magistratus atque Senatus tanta honestate, continentia, charitate, iusticia, & alijs virtutibus suos ciues præditos esse vellēt, vt minimè esset opus fœneratore, sed mutuis subsidijs sibi cum egestate, vel alia aliqua calamitate premerētur, ciues opē ferre: vellent item Magistratus subditos tam esse cōtinentes, vt suorum conciuum vxorum pudiciæ minimè insidiarentur, quin honestatem pulcherrimam continentia amantes pudici sese continerent: vellent denique Magistratus ciues ac subditos tam bene suas horas collocare, ne ocio torpentes aleis, aut alijs artibus tempus fallere intenderent. Nulla igitur ratio superest quæ ferat, vt politica iusticia vsurarijs hominibus suum præstet patrocinium, quod honestis studijs atque virtutibus iure debetur. Non enim quicquid permittunt Senatus, mox est iustum habēdum, nec iusticiæ nomine etiam politicæ viciorū sordida turpitudine est vestienda, præsertim quādo

de

de vicijis tam perniciosis agitur . Decimarum etiam particularia iudicia non ex sacris scripturis, sed ex civilibus legibus iudicari fore petenda . Quæ sententia non minus quam superiores nouitatem redolet præsumptuosam : decimarum enim primaria & vniuersalis lex à Moysè diuino legislatore fuit condita . Is enim cum vniuersas alias leges sibi diuinitus in monte illo Sinai datas ad populum referret , hanc etiam quæ decimarum negocium concernit, diuina auctoritate munitam ad populum Dei attulit : eius autem legis forma extat Leuitici vltimo capite in hunc modum scripta: Omnes decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus Domini sunt, & illi sacrificantur . In quos autem vsus hæ decimæ sint reddendæ, declarauit Moyses diuina luce illustratus , quando dixit: Non habebunt sacerdotes, & leuitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hæreditatem cum Israël: quia sacrificia Domini, & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum , sicut locutus est illis . Numeri 18. multo latius Moyses ex Dei mandato populis annunciauit decimas, primicias , oblata , sacrificia , ac denique quicquid Domino sanctificaretur, id totum sacerdotum ac leuitarum victui, & amictui comparandis fore tribuendum . Hæ sunt leges vniuersales diuina auctoritate constitutæ , ac per Moysen populo Dei datæ . Verum cum post humani generis ineffabilem redemptionem per Dei verbum caro factum operatam, sacerdotio veteris legis antiquato per Christum, alterum sacerdotium multo sublimius, multoque excellentius susceptum fuerit , necessum fuit Patres noui sacerdo-

Deut. 18. 10.

Numeri
18.


5.

ſacerdotij atque eccleſiæ primos fundatores leges aliquot peculiare condere, quibus ſuperiores leges ſuccinctius & preſiùs declaratae intelligerentur. Proindeque Patres eccleſiæ vniuerſalis gubernatores diuina, qua donati erant authoritate, graues qualdam & ſuccinctas ediderunt leges, ex quibus decimarum, primitiarum, oblationum, & aliorum donorum ſacrorum in particularibus iudicijs vera iuſticia & forma à iudicibus eſſet petenda. Tales extant leges in decretis: illic enim Gratianus ex Hieronymo ſuper Malachiam docet reum eſſe apud Deum, qui decimas ſacerdotibus non ſoluerit. Eandem ſententiam confirmat ex Auguſtini ſententia in ſerm. de tēpore. Probat item idē Gratianus ex Leone quarto baptiſmalibus eccleſijs decimas dari debere: docet etiam qui decimas ſoluere debeant, qui verò non: item probat laicos poſſidere non poſſe decimas, & in pietatis vſum ſacerdotibus à Deo eſſe tributas. Continentur illic in eà ſecunda parte decretorum quàm pluriſimi alij ſacri canones, qui iudices decimarum cauſas in particularibus iudicijs tractantes abundè informatos dimittent, de vera decimarum iuſticia ac forma: quos ſacros canones quando iudices ſequuti fuerint, multò certius, & maiori cum pietate iudicium fecerint, ac in particularibus ſuis iudicijs rectius iuſticiam pronunciauerint, quàm ſi leges civiles in ſuum conclaue, vt ſibi conſulant, admiſerint. Ethnicam impietatem redolet, affirmare particularia iudicia de forma & decimarum iuſticia non ex ſacris ſcripturis, ſed ciuilibus legibus eſſe petēda: ſunt enim decimæ diuini iuris, cuius iuſticiam non ex prophanis legibus, ſed ex diuinis tam in particulari-

2. par. Decret.
cau. 6. q. 1.

Serm. 119.

Quest. 7.



bus iudicijs, quàm alibi iudices ac cuncti mortales debent expectare. Absurdum est, ne dicam hæreticum, asserere, quòd leges ciuiles eam habeant prærogatiuam, vt iusticia diuinis legibus latens, ipsarum beneficio sit explicāda atque pronuncianda. Non enim Phoroneus Græcis, nec Mercurius Trimegistus AEgyptijs, nec Solon Atheniensibus, nec Licurgus Lacedemonijs, nec Numa Pompilius Romuli successor Romanis leges cōdidit, quibus diuinis, quas ante ipsos Moses gentis Hebrææ primus leges literis prodidit, illustrarent. Nec legum ciuiliū opus vnquā fuit subsidio ad veram iusticiam, & iusticiæ formam in sacris legibus inueniendam: sed potiùs contra leges ciuiles semper opus habuerunt legum diuinarum fauore, vt earum subsidio non tantum in particularibus, & vniuersalibus iudicijs iusticiam, ac eius rectam formam inuenirent, verum etiam vt ex ipsarum rectitudine, & æquitate deprehendere possent, quæ leges inter ciuiles iustæ & æquæ essent habendæ, vt publica authoritate constabilitæ seruandæ reciperentur: quæ autem iniquæ & iniustæ omnium communi concessione antiquatæ abolerentur. Sunt igitur leges diuinæ amissis, ad quam tanquam ad lapidem lydium vniuersæ aliæ leges approbandæ, vel reprobandæ sunt adferendæ. vnde si in legibus quas Mercurius Trimegistus AEgyptijs condidit; vel in his, quas Phoroneus Græcis primus tulit, aliqua reperiantur æquitati & iusticiæ conformes, eas haud dubiè ex legibus diuinis, quas Moyses multò antè scripserat, necesse est decerptas credamus. Videant & reuoluerant quàm plurimi viri docti AEgyptij, & Græci Pentateuchum Moyse, qui his diuinis legibus

legibus refertus erat . Quas leges ita probabant viri etiam impij & Ethnici, vt dignissimas eas arbitrarentur, quas vniuersi mortales singulari religione venerarentur & colerēt: viri autem eruditi, qui tunc temporis in summo pretio erant apud reges, summaque valebant gratia, ipsis harum legum æquitatem, iusticiam, & amplissimam dignitatem maximè commendabant: reges autem qui ex officio subditis suis leges condere tenebantur, quarum obseruatione ciues vitam sine alterius iniuria, & iuxta rectitudinis rationem cum omnium ciuium commodo & pace transigere possent, qui antea quasi pecudes aut alia bruta animalia soliti erant viuere, viris eruditis atque sapientibus in suis consilijs adhibitis eorum diligentia atque iudicio considerata illius sæculi conditione, subditorum natura, eorundemque moribus ac vitijs animaduersis, leges constitutas populis obseruandas traderunt: in quibus si quæ iustæ, honestæ, possibiles, vtilis, necessaria, & rationabiles deprehēduntur, quamuis per viros Ethnicos atque impios pronunciata fuerint, ex sacris legibus in Moyfi Pentatheuco contentis eas desumptas fuisse verisimile est vt credamus. Siquidem viri illius ætatis doctrinarum amatores vniuersam Aegyptum, Syriam, Asiam, & Græciam peragrabant, nimirum vel extremo consilio inquirentes si quid in illis regionibus deprehenderetur lectione & obseruatione dignum: incidisse tamen quàm plurimos philosophos, & poëtas illius gentis in Moyfi Pentateuchum, Pindari, Ouidij, Platonis, Trimegisti, & aliorum philosophorum monumenta nobis abundè testantur, indeque exhauerunt quàm plurima,

quæ tum ad speculationes doctrinales, tum etiam ad rerum publicarum moderationem accommodare optimè poterant, vti oportunissima & apprimè necessaria. Proinde non prorsus absurdum cuiquam videbitur quod affirmamus, scilicet, quicquid est æquitatis & iusticiæ tam in vniuersalibus iudicijs, quàm in particularibus, id planè in leges ciuiles ex diuinis profluxisse atque dimanasse legibus. Falsa- que erit, estque perpetuò futura illa assertio, decimarum scilicet particularia iudicia non ex sacris scripturi, sed ex ciuilibus legibus fore petenda.

Particularia iudicia de votorum forma, æqualitate & iusticia non ex sacris literis, sed ex legibus ciuilibus sunt petenda. Tam est absurda, & veritati aduersa hæc sententia, vt eam prorsus indignam existimemus, in cuius confutatione vel tantillum temporis infumamus: id tamen viris doctis atque pijs obseruandum in ea assertionem venit, quòd author huius libelli cum sacros canones inutiles atque minus sufficientes particularibus iudicijs de votorum forma, æqualitate & iusticia pronunciandis existimet, ecclesiasticaque tribunalia euertere velit, ecclesiasticos viros, & suas ecclesiasticas causas, vota, matrimonia, & decimas concernentes ad prophana tribunalia conatur reuocare. Quàm sit hoc vicinum Luteranismo & Ethnicismo iudicent ij, qui iudicio valent, & de religionis catholicæ diuinis dogmatibus fœliciter sunt informati.

Sequitur in libello.

Necque enim Christus politias ordinauit, nec leges condidit de humanis negotijs, sed reiecit earum rerum cognitionem in ciuilem Magistratum.

Placet

Placet in primis primam propositionem refelle-
re, scilicet: Neque enim Christus politias ordinavit.
Falleris, falleresque omnes, qui imparati aut incauti
sine iudicio tuum libellum legendum susciperent.
Quid igitur Christus ordinavit, si politias non? nun-
quid arbitraris Christum populum errantem atque
palabundum sine rege, sine lege ac sine ratione ad se
vocasse? talesque elegisse homines, qui extra ciuita-
tes vti armenta per campos, silvas, nemora, & mon-
tes more brutorum errantes aut latentes vitam transi-
gerent? aut existimas Christum ita instituisse ciues
Christianos, quos Evangelica prædicatione ad se tra-
xerat, confusa quadam rerum commixtione, sine po-
litia & absque ordine in ciuitatibus conuiuere?
minimè quidem. Audi paulò attentius, & maturius
animaduerte, atque cognosces Christum, ac sacros
suos Apostolos politias ordinasse, legesque tulisse,
& consilia, quibus non modò Magistratus, ciuesque
& ciuitates, verùm etiam singulos homines instruat:
quo pacto Christiana politia seruata, possint ac de-
beant vitam transigere.

In primis solent ciuitatum prudentes fundatores
populosam multitudinem varijs & honestis donis,
immunitatibus, atque prærogatiuis propositis con-
uocare, vt eò confluentes muros incultos atque de-
sertos inhabitatos exornent atque illustrent: Chri-
stus verò ciuitatis Dei diuinum fundatorem per le-
gem, & Prophetas ante suam ineffabilem carnis sum-
ptionem, ac deinde sua propria diuina persona, post-
modumque per suos Apostolos, ac nunc demum per
eorum successores indefessa fatigatione clamare, at-
que vniuersos mortales, vt ad huius ciuitatis diuinam

habitationem cælestibus & amplissimis donis etiam propositis, velint accedere, non cessat clamare, quod scripturæ sacræ testantur. Huc enim spectant voces

Isaie 56. illæ Prophetarum: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argenti, properate, & emite absque vlla commutatione: & illud David, Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos: & illud Christi, Venite omnes qui laboratis & onerati estis: & alia sexcenta oracula diuina. quin vniuersa scriptura clamat, vt ad huius ciuitatis Dei perennem incolatum omnes accedamus mortales. Mox vbi habitatorum in vnum confluerit multitudo, solent ciuitatum fundatores Magistratum constituere, gladium ipsi concedere, & ciuibus vt ipsi obsequantur & pareant, imperare, vt ea ratione politia semel constabilita & fundata, integra sibi constet, & pulchro ordine ita disposita amandam ac reuerendam cunctis ipsam contemplantibus sese præbeat. Christus in hac sua diuina admirandaque ciuitate non destruit Magistratum, sed potiùs sacra sua autoritate ipsum fulcit atque cõmunitum cõfirmat. Refert enim Luc.

Luc. 22. Christum suis dixisse discipulis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, &c. Vbi euidenter constat, Magistratus dignitatem atque primariam potestatem Christum probasse, instruxisse tamen suos discipulos ne de ea potestate ambienda odiosè contenderent, nec quicquam cogitarent. Hos Magistratus ita Christus semper fuit reueritus, vt non modò ipse tributa ab ipsis exacta non semel persoluerit, verum vt prorsus ipsis obsequentes atque morigeros

nos præstemus, districtè præcepit, quâdo Phariseo- *Matt. 22.*
 rum discipulis ipsum tentantibus dixit, Reddite er-
 go quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.
 Refert etiam Matthæus Christum pro se, atque pro *Cap. 17.*
 Petro Caphernaum staterè fisci Imperialis recepto-
 ribus exsoluisse. Ut autem huic Magistratui non mo-
 dò corpore, verùm etiam animo subijciamur, Pau-
 lus præcipit, qui omnibus ciuitatis Dei habitatori-
 bus dixit: Omnis anima potestatibus sublimioribus *Rom. 13.*
 subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo: quæ au-
 tem sunt, à Deo ordinatæ sunt: itaque qui resistit po-
 testati, Dei ordinationi resistit. Et pleraque alia quæ
 illic subijciuntur, quibus Magistratus dignitas ho-
 norificentissima commendatione laudata populis
 Christianis suscipienda admirandaque proponitur.
 Præcipit item Paulus vt omnibus debita reddamus:
 cui tributum, tributum, cui honorem, honorem, cui
 timorem, timorem. Præterea vt clariùs constet excel-
 lentia & politia Euangelicæ sacra maiestas, animad-
 uertere oportet, quid sigillatim Christus suæ diuinæ
 ciuitatis cultoribus singulari religione obseruandum
 præcipiat, nimirum mutuam & reciprocam beneuo-
 lentiam & charitatem. Hæc mando vobis, inquit *Iohan.*
 Christus, vt diligatis inuicem, cum tamen priùs citrà
 dixisset: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inui- *Ioh. 17.*
 cem, sicut dilexi vos: manete in dilectione mea. Hu-
 ius ciuitatis cælestis cultores Christus tam vult esse
 vnitatis amatores, vt Ioânes referat Christum suum
 æternum Patrem pro Apostolis ita orasse: Pater san-
 cte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt
 sint vnum, sicut & nos: Et Paulus scribens ad Galat. *1. Ioh. 3. & 4.*
 dixit: Quicumque enim in Christo baptizati estis,



Christum induistis: non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina: omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Nihil enim ad reipub. florentem statum constabiliendum atque amplificandum æquè iuuat, perinde ac ciuium vnitas, & concors animorum consensus: paruas res concordia crescere, & discordia maximas dilabi dicebat quidam. Quæ ciuitas vnquam fuit tanta politia gubernata, in qua ciues vnum sentirent, vnum vellent, atque ad eius consequutionem vno conatu omnes simul eluctarentur? nulla profectò præter hanc diuinam Dei ciuitatem. Primi ciuitatum fundatores idcirco domum domui cõtiguam construendam decreuerunt, vt vicinus vicino laboranti opem ferret, mutuisque subsidijs sibi, quæ aduersa daret fortuna, ne latius aut grauius obessent, precul arcerent. Nec populi Christiani hac politia destituuntur. Christus enim suis Christianis dixit: Omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, hoc & vos facite illis: & quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Paulus item vniuersos Christianos exhortatur, vt alter alterius onera portet. Quid enim ad gratiam conciliandam, neque ad publicam pacem alendam inter ciues oportunius aut magis politicum tradi vnquam potuit, quàm quòd mutuis officijs, & alternis subsidijs homines sibi laborantibus vicissim opem ferant, siue labores spirituales sint, aut corporales? Nihil profectò: sunt enim pleraque politica in sacris libris contenta, quæ Euangelicã politiam sublimiùs quàm vllam humanam attollunt & efferunt. Millies Christus, & perpetua constantia Apostoli in suis sacris libris ab cultoribus ciuitatis Dei exigunt, vt pa-

cis

Salustius.

Gatla. 6.

eis sint amatores: Pacē meam do vobis, inquit Christus: pacē diligite, ait Apostolus. Quæ politia maior esse potest, quàm quòd omnes ciues suas cognoscentes, conditiones, in officio atque negotio contineantur? hoc tamen præcipit Petrus: Subiecti igitur esto-

te omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Quid magis politicum vnquam in ciuitate institui potuit, quàm quòd serui subditi suis heris, ipsis obsequentes se præstēt? id tamen in sacris libris præceptum cōperimus: Serui, inquit Pet. subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Quid enim in repub. ad verā politiam magis spectare viris sapientibus vnquam fuit visum, quàm quòd vxores maritis vltro pareāt, ipsosque reuereantur, & vicissim viri vxores ament, ipsisque honorem impartiantur? Attende quid Christus per os Petri ea de re in sua sacra ciuitate faciendum ordinauerit: Mulieres, inquit Petrus, subditæ sint viris suis, sicut Sara obediebat Abrahamæ dominum eum vocans: viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem. Et Paulus vtrisque coniugibus ita præcipit: Mulieres subditæ estote proprijs viris, sicut oportet, in Domino: viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Quid enim ciuilius taut maiori cum politia in republica præclarè ac sapienter instituta potuit vnquam constitui, quàm quòd filij suis progenitoribus, & serui suis obsequantur, & inseruiant heris? Videas quæso quid Christus in eo negotio ordinauerit: per Paulum enim inquit

I. Pet. 2.

I. Pet. 3.

Ad Coloss. 3.
Ad Ephes. 5.

*Ad tit. 2.
1. Pet. 2.*

Christus, Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino: serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quæ vnquam politia potuit ab aliquo legislatore sublimior aut excellētior excogitari ea, quam Christus 10. illis præceptis sacratissimis cōprehensam suis ciuibus obseruandā tradidit? quorum tria priora & primaria religionis authorem celebrandum atque vnicè colendum, & eius diuinam pietatem, & cultum ipsi Deo optimo maximo que exhibendum nobis proponunt: alia verò septem eò spectant, vt cum proximo inculpatè, & sine eius offensione viuere in republ. valeamus. Horum septem præceptorum religiosa obseruatio parentibus debitum honorem ac reuerentiam præstat, proximis vitam, salutem & incolumitatem saluas conseruat, virginales pudicitias tutas atque inuiolatas custodit, impurosque complexus execratur, famam & existimationem à nephariorum hominum improbo ore, & pestiferis delationibus intactas defendit, thoros conjugales honestate decoratos atque immaculatos vt ex integritate fidei maritali exultent, protegit. Quando vnquam Solon, aut Lycurgus, vel Phoro-neus, etiam si his coniungas Mercurium Trimegitum, ac Numam Pompilium, Platonem, & Aristotelem, tam grandes, tam que diuinas potuerant in illis quas ipsi instituerunt rebus publicis, aut in eis ciuitatibus quas legibus suis sunt moderati, politias excogitare? nunquam equidem. Amabo legas maturiùs ac seriùs vniuersas scripturas, ac deprehendes ipsas esse refertas quàm plurimis doctrinis politicis,

*In 2. ad Tbes. c. 3. pauperes docet laborare.
In 1. ad Tim. 2. docet mulieribus ornatum & obedientiã.
In 3. cap. 1. ad Tim. episcopos, diaconos, suas uxores, & domos instruit.
In 4. cap. senioribus, & viduis quid sit deferendum docet.*

liticis, œconomicis, ethicis, atque didacticis . Legas epistolas ad Corinthios , in quibus Paulus politias Christianas ordinat , vt mirum sit dictu , quanta solertia & attentione ciuitatum publicam & ciuilem administrationem, deinde œconomicam, ac demum ethicam doceat politiam: legas item epistolę ad Romanos caput 13. 14. & 15. legas epistolę ad Hebręos caput 13. Quę si pro dignitate discussa tibi fuissent, nunquam in eam descendisses sententiam , vt diceres : Neque enim Christus politias ordinauit ordinauit enim politias , sed Christianas Christianis legibus gubernandas . Condidit Christus, condideruntque Apostoli , & sui successores leges in humanis negocijs seruandas , quarum admirandam diuinamque virtutem, & sanctissimam pietatem cum hæretici nostri temporis ferre non possint , eas reijciūt, suamque effusissimam libidinē , & nefariam cupiditatem harum diuinarum legum cancellis circumscribi minimè patiuntur. Quos etiam sibi imitandos proponunt nonnulli, qui catholici maximè volunt videri , qui quamuis illustrissimum Christianismi titulum vsurpatum, vt cæteris hominibus faciant fucum, teneant , suo tamen tempore spero Dominum cordiū consilia atque cogitationes manifestaturum.

Dicis Christum earum rerum cognitionem in ciuilem Magistratum reiecisse . Christiana respublica duos, non vnum habet Magistratus, alter est sacer, alter verò prophanus: ad hos qui diuersi sunt, diuersarum causarum spectat cognitio : quę autem causę ad illum, quę verò ad hunc spectent, non est præsentis instituti tractare . Hoc tamen est indubitata fide tenendum , hæreticos esse, qui ita prophanum effe-

runt

runt Magistratum, vt sacrum euerſum velint. Eſt quæ certiffima fide habendum, cauſas eleemoſynarum, quas pauperibus fideles elargiri ſunt ſoliti, minimè vnquam ad prophanum Magistratum ſpectaſſe, ſed ad eccleſiaſticum, quod ab Apoſtolorum inde ætate tanta religione in eccleſia fuit obſeruatum, vt nemo niſi is, qui fidei renunciaſſet, auſus fuerit vnquam hoc negare, necdum eccleſiæ eam prouinciam eleemoſynarum pauperum diſponendarum eripere.

Porrò autem vt intelligas quid tu, quando animum ad huius tam iniquæ cauſæ deſenſionem adiecisti, dicere iure aliquo poteras, ſcias leges diuinas tripliciter ab humanis differre, nempe officio, fine & præmio: legum enim humanarum officium eſt, ciues humanos morali iuſticia iuſtos, morigeros, obſequentes, rerum publicarum, patriæque amatores, & cõpoſitos efficere: legum etiã humanarum finis eſt, pacem publicam atque ſerenitatem ciuibus procurare, cuique quod ſuum eſt tribuere, ciues cum ſuis familijs atque fortunis ab malorum inſidijs iniurijsque immunes cõſeruare, diſſidia, & bella ciuilia tollere, aliaque quæ ad amplitudinem & rei publ. ſplendorem, & vtilitatem faciunt, procurato negotio inuehere, procul verò repellere quæ perturbationem, aut excidium eidem ſint allatura.

Præterea legum humanarum præmium eſt, ciues honeſtos, probos, atque morigeros, qui de republ. egregio aliquo facinore facto bene ſunt meriti, ſingulari honore exaltatos, donis, immunitatibus, & prærogatiuis honorificis donare: malos verò atque improbas homines, qui republ. ſuis malefactis dehoneſtant atque perturbant, ſupplicijs afficere, &

perpe-

perpetua infamia notare. Porro autem diuinarum legum longè diuersissimum est officium, nimirum Christianos homines iusticia intrinseca, & fidei sacramento iustificatos, iustiores efficere, & ipsos sanctarum actionũ officijs sanctificatos vberiori gratia æternoque beatitudinis præmio digniores facere, adeò vt qui diuinarum legum fuerint religiosi ac puri obseruatores, sint ciues sanctæ ciuitatis, iusti, sancti, sanctificati, immaculati, puri, Deo amabiles, angelisque venerabiles, & æterna beatitudine digni.

Finis autem quò leges diuinę spectant, quò etiam suos dirigunt obseruatores, est pax interna, quæ exuberat omnem sensum, quæ custodit corda nostra, & intelligentias nostras. Quicumque igitur leges diuinas propter Deum ex charitate obseruauerint, comparabunt sibi Dei gratiam, amicitiam, & fauorem, eritque inter ipsos & Deum pax summa, vitabuntque æternam illam execrationem, quam Deus suæ legis transgressoribus est comminatus. Adeò vt veluti Zacharias, & Elizabet iusti ante Deum incedentes in suis iustificationibus, cõmanicata sibi per sacramenta passionis Christi virtute, comparere possint. Est igitur legis diuinæ scopus iusticia (etsi omnes Lutherani cum suis infernalibus prolibus in medijs crepēt) non humana, sed diuina, nec tantum externa, sed interna, nec imputatiua, sed vera, quam obseruatores legum diuinarũ obedientia legis sibi cõparant.

Præmium verò legum diuinarum est beatitudo, seu vita cælestis, vel requies æterna, quam ab initio mundi in brauium currentibus in stadio vitę humanæ, & suam legem custodiētibus Deus optimus dignatus fuit polliceri. Quemadmodum enim legum
diuina-

Deuter. 27.
Galat. 3

diuinarum officium est, mortales fideles magis ac magis iustificare, & legis finis est, iusticiam animarum eiusdem legis officijs augere. Ita præmium diuinæ legis suæ obseruationis iusticiæ à Deo optimo præstitutum, est ipsa æterna requies seu beatitudo: leges autem humanæ non sunt eius virtutis, nec dignitatis, vt etsi fideles in earum obseruationem maximè incumbant, minimè gentium ab ipsis sanctificari, neque iustificari apud Deum vnquam possint. Hæc si dixisses, nulla existeret controuersia, neque vllus modò eruditus esset, qui huic refragaretur sententiæ. Verùm tam effusa licentia asserere Christum politias non ordinasse, neque leges de humanis negocijs condidisse, id planè nec catholici sine magna indignatione audire possumus. nec ipsa scriptura sacra quamuis catholicorum patrociniò orbaretur, sine contradictione posset ferre. Clamaret profectò Christus iniuriam longè grauissimam sibi fieri, vtpote qui rempublic. Christianam multo excellentiùs, perfectiùsque, & multo beatiùs informet atque ordinet, quàm quiuis alij legislatores, cuiuscūque sint dignitatis, ac gentis. Reiecit Christus in ciuilem Magistratum legum diuinarum exequutionem, cui etiã punitionem transgressionum legis exequendam commisit, cui etiam condendarum legum, quando res postularet, facultatem permisit, ea tamen moderatione adhibita, vt nullus Magistratus aliquam legem condere vnquam posset, quæ diuinis legibus esset aduersa. Sed neque viri iurisperiti, quicunque hactenus clarissimi extiterunt, quando aliquid dictarunt quod in vulgus esset proditurum, quicquam asserere vnquam fuerunt ausi circa legum naturam

&

& declarationem, aut ordinationem, cui ex sacris scripturis firmum & certum non iecerint fundamentum. Nimirum intelligebant viri illi celebres non aliunde, quàm ex sacris & diuinis scripturis in suas leges æquitatem, rectitudinem, & veram politiam posse deriuari. Nec vestra facultas, quæ iusticiæ per vniuersa Christianorum tribunalia vnica & clarissima celebratur patrona, vllam politiam, quæ ad integritatem & reipub. veram formationem spectaret, vsquam ordinari p̄mitteret, si diuinis scripturis, vel sacris legibus, aut ecclesiæ catholicæ authoritati, vel eius sanctissimis & vetustissimis constitutionibus deprehenderetur contraria. Quicumque igitur huius tam sanctæ facultatis estis filij, patiamini (vos rogo) eius sanctitatem, iusticiam, iudicium, pietatem, & admirabilem erga ecclesiam, & ecclesiasticos canones reuerentiam vestris animis insidere. Quos etiam intelligere oportet vobis nullo pacto esse integrum quæ ad reipublicæ fœlicitatem, amplitudinem, gloriam, & opulentiam facere videntur, cum vel minimo religionis catholicæ detrimento aut incommodo procurate. Cuius rei tam est vobis necessaria animaduersio, vt nulla magis. Siquidem sunt quàm plurimi, qui religionis, quam profitemur dignitatem, & causas eam concernentes tam leues existimant (nam quòd ipsas contemptui habeant, minimè credam) vt si temporalis commodi vel minima appareat vmbra, sacra prophanis, diuina humanis, & cœlestia terrenis cedere velint, ne humana quã seriò intendunt, ipsis pereat fœlicitas. Nec tanti ipsi faciunt cultum religionis catholicæ, vt non plus apud ipsos rerum temporalium amor & sitis, quàm
religionis

religionis reuerēda supercælestisque authoritas obtinuerit . Quòd si quisquam sit , cui hæc sententia non vsque adeò pròbetur , hunc rogatum vellē quatenus studia quorundam Senatuum ac Senatorum nostræ ætatis contēplaretur , facilè profectò omnī dubitatione liberabitur , cūm re ipsa deprehenderit quod dicimus , ita se habere . Sed hæc consultò præterita in aliud tempus tractanda reijciamus . Nunc verò primum institutum de libelli quibusdam propositionibus refellendis prosequamur .

Sequitur in libello.

Hoc in terminis casus nostri docet , & confirmat eximius sacrarum , & ciuiliū legum doctor Nausea in commentarijs suis in Tobiam , qui dicit : Rectores cauere debent , ne indigni mendicent , qui vel non egent , vel quod emendant , dilapident , Neque Deus tales pauperes agnoscit tam alienos à suis moribus , &c.

Probatur nobis vehementer sententia Nauseæ , sed quòd sententiam sapienter & appositè dictam , vt tuo seruiat instituto , retorqueas , ferre non possūmus , nec debemus . Illic Nausea authoritatem Senatūs implorat , non quidem in Christi pauperes miseros & calamitosos inedia , & ægritudine , sanie , vlcibus , cæcitate , manuum mutilatione , vel truncatione pedum , vel alio morborū genere afflictos ac maceratos , sed in vagos , otiosos , validos & fortes . Qui cūm prospera & robusta corporis valetudine valeāt , possentque commodè artificio manuario victum , & amictum sibi parare , malunt sordida desidia inertes emendicato pane vitam sustentare , adeò vt perpetuè nundinationi ventrem gerant expositum , quàm ali-

cui

cui opificio exercendo operam dare . Hos tales nos etiam palis ac flagris cuperemus per ciuitatum re-ctores humano conuictu abactos , ne turpi sua ve-cordia quas ocium solet adferre , grauissimas pestes herefeon, seditionum, tumultuum, ebrietatum, rapi-narumque , & cædium ciuitatibus inueherent. Vti-nam serio Magistratus districta ac pressa sollicitudi-ne ad inquirendum de vita , moribus , statu, officio, atque occupationibus tum suorum ciuium, tum etiã eorum qui aliunde in ciuitates suas habitatum com-migrassent, adijcere vellent: posset faciliùs malis gra-uissimis , quæ nefariorum hominum audacia inau-dita indies contra ciues honestos , contra religiosos viros , atque sacratas virgines, contra religionem, & contra publicam serenitatem, contra ipsum sanctissi-mum sacramentum passim designantur , occursum iri . Referrent profectò tales Magistratus magnam & egregiam laudem ex memorabili officio vniuersæ reipublicæ præstito . Verùm quòd eadem fortuna inuolutos velis veros Christi pauperes cum validis illis pauperum prædonibus, & quòd eadem ratione illos à consortio humano, & mortalium oculis sub-ductos perinde atque hos perditos nebulones velis esse reiectos, hoc charitatis leges, quas nos Theolo-gi singulari religione semper sumus venerati , non permittūt. Nam sicut Deus tales fictos ac falsos pau-peres non agnoscit , sed potiùs execratur , ita veros pauperes , & eorum causas quibus ipse , non natu-ra , suo admirabili consilio eam tam miserandam dedit conditionem , tuendos singulari prouiden-tia à zelo suscipit.

Nec huic tuæ sententiæ patrociniabitur locus ille,

Q

quem

quem citas ex Pauli 2. epistola ad Thessalonicenses, scilicet, Si quis non obedit verbo nostro, hunc notate: quem tu ita interpretaris, esse notandos refractarios, ut si labore corporali victum quærere cum possint, nolint, à mendicatione prohibeantur. Si hæc interpretatio esset genuina illius loci sententia, fame vellet Paulus homines desides necari, quod alienum esse à pectore illo tanta charitate flagranti nemo est qui dubitet. Sensus verus igitur aliud habet, scilicet: Si quisquã sit (inquit Paul.) tam refractarius & durus, ut ad operas, quibus victum & amictum sibi paret, se componere nolit, hunc notate, id est, talem per epistolam mihi indicate: vel si mauis, talem in catalogum veçordium & rebellium relatum tantisper dum ad vos rediero, habete notatum. Et ne cõmisceamini cum illo, id est, nulla vobis cum ipso intercedat consuetudo, ut confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Paulus hinc aperte etiam indignis vult ut eleemosynas tribuãt Thessalonicenses. Nam cum prius dixisset: Qui non laborat, non manducet, aliaque intulisset, quibus ad corporales operas Christianos pauperes exhortaretur, subdidit: Vos autem fratres nolite deficere bene facientes, hoc est, verum vos diuites & opulenti, nolite pauperum obliuisci, quamuis ociosi sint, ita ut ab eleemosynis faciendis deficiatis: sed etiam ociosis & nolentibus laborare beneficia eleemosynarum elargimini: ita tamen ut tales notetis per epistolam, & præterea ab eorum consuetudine abstinatis. Et ne meam tantum quis existimet hanc esse interpretationem, legat Theophylactum virum grauissimum in commentarijs huius loci, à quo abundè doctus

doctus, & ea de re optimè informatus discedet. Legat item Chrysoftomum tum in commentarijs huius loci, tum etiam in varijs homilijs, qui admirabili constantia hanc nostram sententiam tuetur, à quo etiam ego illam didici. Legat item Oecumenium, & Augustinum in eiusdem loci illustrationibus, quos etiã in hac doctrina singulares habemus magistros. Hos viros tales ac tantos, quos vniuersa ecclesia ob admirabiles suas virtutes, pietatem, eruditionem, ac religionem vnicè veneratur, tibi reuerendos opponimus. Quorum authoritas cum summa sit, & dignissima quam omnes pietatis, & eruditionis amatores reuerentur, plus apud te debet obtinere, quàm vnus quem citas Haimonis: tametsi hic vir ob sanctos suos labores dignus sit què in pretio habeamus.

Sequitur in libello.

Sed refert Henricus Bohic, & sequuntur communiter Canonistæ in ca. Odoardus de solut. & Iason ad leg. Si constante. nu. 143. de solut. matrim. Reprehendendi, inquit, sunt, & non vacant magna culpa, qui vadunt ostiatim, querendo, pretextu paupertatis, aliena, quod est prohibitum, & est contra illud Deuter. cap. 20. Non concupisces rem proximi tui. Eandem expressit Folengius Psal. 9. Qui viciatim, inquit, ostiatim que plenis manticis stipem quarunt, pauperes Christi dici non debent.

Hęc sententia tam cruda est & indigesta, vt lectoribus catholicis horrorem ac nauseam pariat. Siquidem quàm plurimi quondam extiterunt, existuntque modò tam ex ordine prophano, quàm sacro, qui viciatim, ostiatimque manticis plenis stipem quærunt, qui veri Christi pauperes sunt habendi

atque dicendi. Lazarus ille pauper Euāgelicus Christi amplissima commendatione celebratus, chorifque angelicis assumptus, si ostiatim, viciatimque plena mantica stipem quæreret, esset ne dicendus pauper Christi? quid ni? certè Christi verus pauper esset habendus atque prædicandus. Posset enim vir sanctus, vbiq̄i propriæ fami leniendæ sufficerent, collegisset cibos, alijs etiam pauperibus sustentandis eleemosynas quærere. Sicut enim tibi est integrum in detestationem mendicitatis, pauperum vicia quàm plurima commemorata diuitibus legenda proponere, quid ni mihi item quorundam eorum quàm plurimas & excellentes virtutes in suam laudem licebit congestas typis cunctis mortalibus legendas mandatas in vulgus spargere? Sed cùm non sit mihi constitutum pauperum laudes celebrare, sed iniurijs quas tu ipsis inferre niteris, propulsatis, ipsorum miserijs, ne augeantur, obstare: placet hac defensione prætermissa, ad tuarum sententiarum confutationem redire. Sanctissimus ille Minoritarum instituti patriarcha Franciscus quando plenis manticis viciatim, ostiatimque mucida farinæ frustra colligebat, erat ne indignus, quem tu aut Folengius ille tuæ sententiæ patronus pro vero Christi paupere haberetis? Non erant dicendi Christi pauperes sanctissimus ille Bonaventura, sanctissimus ille Anthonius Paduanus, sanctissimus ille Bernardus de Senis, & sexcenti alij Patres instituti diui Francisci, quorum sanctitas, pietas, religio, & charitas omnium Christianorum suffragijs magnificè non tantùm per vniuersas prouincias Christianas, verùm inter barbarorum gentes prædicantur. Quid de sacratissimo illo

Patre

Patre Dominico, ac de vniuersis sanctis, quos in sua floruisse religione heroicis virtutibus, atque miraculis, & doctrinis insignes sui sæculi annales testantur, es dicturus? quia plenis manticis ostiatim viciatimque stipem quærebant, perfectionis regulam profitentibus, non sunt habendi Christi pauperes? Sed etiam nunc hoc nostro sæculo tibi nec Folengio minimè placet vt veri Christi pauperes religiosi mendicantes, qui ostiatim viciatimque plenis manticis stipem quærunt, habeantur. Sunt enim grauissima totius ecclesiæ, & omnium vniuersitatum tam præsentium, quàm præteritarum, & omnium virorum doctorum sententia, tales habiti veri Christi pauperes, Apostolicæ perfectionis veri æmulatores, quamuis plenis manticis ostiatim, viciatimque stipem quærant. Si tu hos omnes prudentia, & doctrina, aut authoritate superas, ipsorum præterito iudicio in tuam sententiam manibus ac pedibus ibimus, tantùm abest vt de ea inficianda quicquam cogitemus. Sed amabo discas, ac velis tuos affectus moderatiùs componere, ac patiaris nos si non in tuæ eruditionis atque prudentiæ magnitudinem assurgere, saltem in nostram Christi que pauperum & religiosorum instituti defensionem aliquid mutire. Ne si modesti sileamus, quasi victor exultans ementiciã paupertatem, rerum ignorantiam, & alia quæ tu nobis vicia affingis, cum refractarios & seditiosos nos vocas, nobis insultes.

Sequitur in l. De continendis domi pauperibus.

Queritur, an posset ciuium legibus prohiberi mendicitas, sit que ea subuentionis forma diuinarum legum sanctionibus consentanea? Est hic non parua pugna inter philosophos, theologos, canonistas, & iurispru-

Q 3

dentes,

dentes, eosque qui medio officio versantur, quos politicos vocant.

Vt quaestioni à te propositæ per nos sit satisfactû (si tibi satisfieri permiseris) ita mihi respondendum duxi. Velim sanè te aliosque viros doctos, ac pios, qui in hanc causam incumbunt, animo reputare maiores nostros sapientissimos rerumpub. gubernatores in primis cauendum admonuisse, ne vllius aut edicti, aut legis, aut consuetudinis, aut disciplinæ, vel imperij mutatio temere tentaretur. Sic enim constituendum fore prudenter perspexerunt, vt sicut corpora, cum è consueto & familiari victu ad nouum & insolentem traducerentur, conturbata in morbos graues inciderent, ita non longè aliter respub. perniciosissimis seditionû, factiosarumque cupiditatum motibus laboratura esset, si vetusto eius statu conuulso, repudiatis maiorum institutis, abrogata diuturni temporis viuendi consuetudine, sursum, deorsum omnia permiscerentur. Hinc illa Græcorum instituta, quæ postea Romani suam in ciuitatem transtulerunt, quibus patria sacra coli, ritus Patrum, quoniam proximè antiquitas ad Deum accederet, seruari voluere. Hinc illa apud Dionem Mecœnatis ad Augustum sapiens & elegans oratio, qua Imperatorem monet, nullam fore in republ. pestem capitaliorem, magisque auertendam, quàm vt veterem formam peruertere, nouam introduci, ac firmari patiatur. Hinc illa Persarum, Locrensiû, omnium denique gentium, imò iurisconsultorum prudentissimorum sententia, in nouis rebus constituendis euidentem, perspectamque vtilitatem esse oportere, antequam ab eo iure, quod diu receptum sit, recedendi deliberatio instituat. Hęc vbi animo tu Vuiti versaueris,

planèque inspecta perspexeris, abundè tibi satisfactum putabis. Ostèdite vos tres, qui huius noui instituti authores & architecti ab omnibus estis proclamati, si perspectam & euidentem huius nouæ formæ subuentionis pauperum, quam fabricastis, habeatis vtilitatem, ac tunc temporis locum habebit ea quæstio, quam tu tua eruditione, tuo iudicio, tua prudentia, tua denique authoritate in hoc libello definiendâ, cunctisque mortalibus, vti diuinum oraculû, amplectendam proposuistis. Omnium enim Theologorum catholicorû constanti sententia est decretum ac determinatum, nulli Magistratui esse integrum legibus ciuilibus, veris Christi pauperibus, miseris & calamitosis mendicitatem in suis ciuitatibus interdicerè, nisi priùs Magistratus beneficentia ac beneficio, vel ex publico ærario, vel alia certa ratione, quæ ad vitam sustentandam sint necessaria, ipsis pauperibus parata contribuantur. Est enim contra ius diuinum, naturale, & Gentium, contra sacros canones, & Christianam pietatem mendicitatem ciuilibus legibus interdicerè, cùm priùs ciuiles leges elemosynas, quæ in mendicos ne fame crudeliter pereant, conferantur: prudenti ac certa ordinatione non parauerint. Nefarijs & scelestis hominibus in ergastula compactis solèt leges ciuiles victum prorsus prohibere, vt tandem fame & inedia necati, legi debitas persoluant pœnas. His vel maximè famentibus leges ciuiles mendicitatem possunt prohibere: non Christi veris pauperibus, miseris & calamitosis, quibus leges diuinæ, quæ legibus ciuilibus dignitate, æquitate, ac maiestate sunt superiores, succurri, & quæ ad vitam sustentandam sint necessaria contribui

iubent. Hæc sententia tam est vera, vt nullū, modò sit pius ac doctus, nec inter Theologos, nec inter canonicistas, aut iurisperitos fore arbitror, qui ipsi suum patrocinium sit denegaturus. Proinde vt omnium doctorum virorum tam Theologorum, quàm canonicistarum, siue iurisperitorum consilium, & prudentissimam & grauissimam sententiam sequutus videaris, obtineas apud tuum Senatū, vt ædes capaces, & pauperibus suscipiendis oportunas erigat, necessarijs suppellectilibus ornet, prouentibus annuis sufficientibus multitudini pauperum, qui venerint, curandæ atque alendæ ipsas dotet, ac tum demum leges ciuiles condat, ac pronunciet quibus mendicitatem pauperibus prorsus interdicitur: nam secus minimè licet. Quòd si facere sit graue & arduum, memineris nihil esse dignius in ciuitate bene sapienterque constituta, quàm paternos ritus à maioribus nostris acceptos, singulari religione retentos colere. Memineris etiam nihil esse in repub. capitalius aut perniciosius, quàm veteri forma antiquata, nouam aliquam intromittere. Nouicia instituta semper aliquid monstru alere sunt solita. Porrò autem Ioannis maioris eximij theologi autoritate probare contendis, ciuilibus legibus esse integrum, pauperibus Christi mendicitatem inhiberi; vtpote qui eo loco, quo de eleemosyna agit, ita definitū nobis reliquit. Si principes & communitates statuunt ne mendicetur, sed aliunde impotentibus prouideatur, probè egerint. Celebris huius viri sententiam pro tuo dogmate astruendo in medium producis: verùm admirari non possum quo pacto non animaduertes, huius viri sententiā, quam in tuam defensionem citas, ædificium

ædificium à te tanto studio elaboratum non tantùm concutere, verùm maximè euertere. Explica quæso, & fideliter sententiam Ioannis maioris, quæ ita habet: Si princeps vel communitas statuatur, ne mendicus sit in sua patria, & prouideatur impotentibus, probè agit, & quod quidem licet: non ait, Si vna ciuitas, & singularis Senatus constitutionem aliquam ediderit de continendis domi pauperibus, probè agit, & quod quidem licet: sed si princeps & communitas simul conuenientes communi sententia deliberauerint, qua ratione pauperibus impotentibus in vniuersa sua patria, quæ ad victum & amictum spectant, prospici possit, adeò vt nullus visatur mendicus, & in opus produxerint, probè agit, & quod quidem licet. Interponas te rogo Vuitli, tuam auctoritatem, consecra tuam diligentiam, studium atque laborem huic tam præclaro instituto, & cum Bruxellis, vel alibi apud Belgas princeps cum sua communitate Belgica comitia celebrauerit, tu totus in hanc rem incumbe: exporrige illic apud principes & magnos viros tuæ eruditionis virtutem, vt doceas id ita debere fieri, eloquentiæ lactea flumina, vt persuadeas dexteritatem industriæ, vt obtineas fauoris & gratiæ vim, vt bonis aibus tu primus in illustri ciuitate Brugensium tam præclarum opus auspiceris, vt eius pulchro exemplo reliquæ ciuitates commotæ, ad eiusdem officij in pauperes præstandi accendantur affectum. Hæc igitur duo maximè requirimus, vtpote quæ in primis sint necessaria, vt fœlices atque secundos successus sancta hæc tua sortiatur constitutio. Primùm quòd auctoritate principis, & communitatis totius concordi sententia deliberetur

ac statuatur vt vnaquæque ciuitas suos pauperes alendos atque curandos retineat, nec aliò diuertere permittat: secundò vt antea quàm mendicitas ipsis interdicator, sit constans ac certa, & perpetua prouisio in vnaquaque ciuitate apparatus, quæ honestè mendendis ægris, & sustentandis impotentibus pauperibus sit sufficiens, idque adeò, vt vno eodemque tempore absque iniuria pauperum, imò cum eorum singulari beneficio ex miseranda illa mendicandi calamitate ad tam necessariam & sanctam indulgentiam ac sustentationem recipiantur. Scias hanc esse illius magni Theologi Ioannis maioris sententiam, quam cum perspectam satis haberent reuerendissimi illi cardinales Campegius & Lotharingius, vtrò vt ipsi maiorem conciliarent authoritatem, sua præstiterunt suffragia. Hoc etiam Carolus ille Magnus, cuius pietas per vniuersas orbis Christianas prouincias maximè celebratur, quando ea de re leges condidit, statuit ita esse obseruandum, tunc præsertim quando de mendicorum negotio deliberans Niumacho scripsit quid fieri obseruarique vellet. Iuxta quam sententiam est etiam intelligendum Folengij placitum, qui ait se velle prorsus omnem mendicitatem sublatam: nam si contrarium affirmare voluit, eius sententia minimè erit probanda, vtpote quæ librorum sacrorum oraculis, conciliorum canonibus, & vetustæ ac laudatissinæ ecclesiæ consuetudini maximè aduersetur. Semper enim meminisse oportet illius sententiæ, quam Vincentius Lirinensis vir incōparabilis pietatis atque eruditionis literis proditam iam pridem nobis reliquit, scilicet: illud in republica Christiana semper enitendum fore, quod vbiq; & semper

semper, & ab omnibus fuit obseruatum.

Porro autem quòd calamo currenti dictasti de eleemosyna tractans, scilicet: At de præcepto ne verbum: imò negat Thomas eleemosynarum largitionem præcisè cadere in præceptum. Neque enim modum & terminum eleemosynarum esse lege præscriptum. Hæc tua sunt verba, in medium libuit viris doctis ac pijs obseruandum producere, vt tandem re ipsa quid legisperitus & causidicus in re theologica, si velit, possit præstare, deprehendat. Multo satius tibi fuisset, consuluisseque tibi prudentiùs, si quæ tua requirebat facultas, causam aliquam forensem rectam & iustam tuo patrocinio defendendam susciperes, quàm Theologorum vsurpato officio theologitari præsumeres. Poteram facilè tibi ad oculum monstrare quàm præposterè Thomæ doctrinam sis interpretatus: sed prudens prætereo, ne cum homine meæ facultatis ignaro sacram & theologiam disputationem instituere videar. Id tamen prætermittere non possum, quin huius te aduertam, scilicet cum hîc dicas: At de præcepto ne verbû: imò negat Thomas largitionem eleemosynarum præcisè cadere in præceptum. Paulò pòst cap. 13. eiusdè tui libelli subdidisti, cadere quidem in eleemosynâ præceptum, sed nō obligare semper & ad semper. Superiùs docuisti Thomam negare largitionē eleemosynarum præcisè cadere in præceptum: inferiùs autem doces eundem Thomam dicere, cadere quidem in præceptum eleemosynâ, sed non obligare semper & ad semper. Nec est quo ad asylum aduerbij, præcisè, confugas, nã nec illic tutus eris, vt Theologorum iustam euadere possis censuram. Legas paulò pòst attentius quæstionē
trigesi-

trigesimam secundam diui Thomæ de eleemosyna in 2.2. & omnes articulos eius admirabili eruditione illic propositos discussos ac definitos, & tum demum deprehendes, quo pacto eleemosyna cadat in præceptum. & quem modum & terminum ex sacris libris leges ecclesiæ, & Theologorum definitiones diuitibus in eleemosynarum largitionibus custodiendum præscribant. Quas si reuereri contempseris, saltem Christi sententiam te veneraturum spero, qui ait: Quod superest date eleemosynã, & omnia munda sunt vobis. Et idem affirmat Christum dixisse, omnibusque præcepisse, vt facerent sibi amicos de mammona iniquitatis. Et apud eundem legimus Christum viduam pauperulam duo minuta in gazophylacium mittentem vnicè commendasse, cum tamen priùs diuitem epulonem & immisericordem qui Lazaro mendico nullam misericordiam præstiterat, æterna damnatione punitam reprehendisset.

Videntur ne tibi hi loci sufficientes, quorum auctoritate commoti statuere possimus Theologi eleemosynam in præceptum cadere? Quos si negare præsumpseris præcepti vim habere, saltem hoc dabis, proximi dilectionem in præceptum cadere, proindeque necesse est admittas omnia illa etiam esse præcepta, quæ ad huius præcepti impletionem sunt necessaria. Esse autem misericordiæ opera proximis calamitosi necessaria, quis negabit? nemo profectò, si sanum & incorruptum retineat iudicium. Quod verò illic protinus subiecisti, scilicet: Neque enim modum, & terminum eleemosynarum esse in Lege præscriptum, nec taxatum quotam partem bonorum quis teneatur dare pauperibus.

Præstitif-

Præstitisset maturiùs & grauiùs rem tanti momenti pro dignitate perpendisse, quàm tam absoluta libertate tuo solo iudicio consulto definire, quod illic nobis legendum proposuisti. Aduerte quàm eleganter leges diuinæ modum & terminum eleemosynarum nobis præscribant. Christus apud Lucam cùm ea de re Christianos institueret, dixit: *Quod superest date eleemosynam: non dixit necessaria, sine quibus vitam nec nos, nec vos, vestrique commodè transigere potestis, pauperibus largiamini, sed ex his quæ vobis diuitijs affluentibus superfuerint, eleemosynas facite.* David etiam diuitibus opibus affluentibus dixit: *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Et Tobias moriturus cùm filio daret præcepta, dixit: *Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter distribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire.* Paulus item in posteriori epistola ad Corinthios apertissimè modum ac terminum in eleemosynis faciendis Christianis seruadum proponit, quando ait: *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet: non autem vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate.* Videas amabo si diuinæ leges præstituant terminum ac modum in eleemosynis faciendis seruandum. Legas commentarios Augustini, Chrysostomi, & aliorum Patrum, qui diuinarum legum sacri sunt interpretes, & facilè percipies te falsum: siquidem manifestè disponunt quatenus, & quomodo eleemosynas facere debeant ij qui vel diuitijs affluentes,

Psal. 125.

Cap. 8.

vel

vel mediocrem fortunam sortiti, ad illa beneficia præstanda charitatis Christianæ igni accenduntur, discesque modestiùs in aliena facultate definire, atque prudentiùs Senatui, cui inferuis, consulere.

Dicis præterea ecclesiasticorum partes non esse modum certum præscribere, sed verbis adhortari, & excitare populum ad charitatem & beneficentiam spontaneam, quando Deo nihil placet, nisi quod ex lubenti proficiscitur dilectione. Non possum sanè admirari satis tuam in dicendo tantam libertatem, quã iure optimo omnes tum pij, tum prudètes, tum etiã eruditi tibi maximè exprobrabunt. Si nec leges sacræ præscribunt modum certum, nec terminum in eleemosynis faciendis, nec id etiam est ecclesiasticorum. Quorum igitur erit? Pensionariorum'ne? Non erit officij & partium eorum; qui morientium confessiones excipiunt perspecta eorum conscientia, consideratis eorundem opibus, habitaque ratione lucrorum & quæstum; si res ita postulauerit, ipsis præscribere quotam pauperibus contribuere debeant, quotam restituere, ac tandem quotam sibi, vel suis hæredibus retinere tuta conscientia possint. Non est partium ecclesiasticorum, qui viuentium opulentorum expiatores sunt, vel pij consultores, ipsis præscribere quotam suarum facultatum partem pauperibus debeant, si velint, e-largiri? Hoc est vetustam, sanctissimamque sacramenti confessionis dignitatem eneruare, & contra solennes ecclesiæ & laudatissimas consuetudines insurgere, Patrumque diuina instituta conuellere, & nouitiæ religionis pestifera quædam præludia aut præfagia prodere. Omnia hæc, quæ tu negas eccle-
siastico-

siasticorum esse, ministris ecclesiæ, & non alijs exequenda maximè incumbunt. Te vehementer igitur rogo, quatenus in tua arena te velis continere, ne esse videaris, quod te esse minimè credo. Non est, quo cùm de pauperibus domi continendis sit tibi instituta oratio, de authoritate & officio legum diuinarum, & ministrorum ecclesiæ etiam nõ modò tractare, sed & definire velis. Non sunt res tales ac tantæ tanta facilitate ac libertate confundendæ, nec per te definiendæ: sed omni reuerentia & pietate suscipiendæ, admirandæque, perinde atque alia sacramenta, quæ religionẽ nostram catholicã concernunt.

Nec velis nobis facultatis theologiæ Parisinæ sententiam pro huius causæ illustratione ac determinatione datam exponere, nec vt tuo seruiat instituto, compellere, cùm planè conspicuum sit, ipsam tuo proposito consilio maximè aduersari, tantum abest vt eius suffragium in tui argumenti confirmationem nec defensionem possis adferre. Censuit ac iudicauit sacra illa facultas nefas esse prohibere atque impedire per ciuiles potestates, siue per quasuis alias ciuiles constitutiones, ne quisquam possit de suis fortunis pro sua deuotione ac voto priuatim & clam aut palàm pauperibus, quibus voluerit, & quando, ac quomodo voluerit eleemosynam dare, neque licere vllam pœnam aut mulctam ijs qui contrarium fecerint, imponi. Est ne hoc probare id quod tu tuo libello statuere conaris? minimè quidem. Nec est quo domini Iodoci Damhouderij clarissimi iurisconsulti, & regiæ maiestatis rationalis commissarij iudicium & suffragium ad te referas, cùm is prudentissima sententia in suo, quẽ percurri,
libro

libro conatur iudicibus persuadere, ne errores vagos reipublicæ rudera ac peripsemata mendicare permittant, verùm ad operas compellant, aut seuera & graui animaduersione ocij crimen in ipsis plectant. Cuius sententia, qua optat vt vnaquæque ciuitas suos alat pauperes, nobis etiam maximè probatur. Qua de re inferiùs præter id quod superiùs nos fecisse arbitramur, etiam aliquid tractabimus. Iohannes Maioris, quem tu theologum sine controuersia maximum celebras, idcirco voluit quòd principis, & communitatis deliberatione communi statueretur, vt quælibet ciuitas suos pauperes alendos retineret. Quia videbat vir prudens ac circumspectus minimè fieri posse, vt illa constitutio cõmodè in vna ciuitate staret, quæ in alijs non perinde obseruanda veniret: plura enim quàm sexcenta passim suborirentur incommoda, quibus obeundis Patres qui in secunda illa synodo Turonica circa tempora Pelagij papæ primi celebrata, anno abhinc circiter millesimo conuenerunt, oportunissimam nobis aperuerunt viam; quando canone quinto ita instituerunt: Vnaquæque ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, vt tam vicini presbyteri, quàm ciues suum pauperem pascant: quo fiet vt ipsi pauperes per ciuitates alienas non fatigentur. Amabo diligenter aduertas nouissima huius canonis verba, quæ sic sonant, Quo fiet vt ipsi pauperes per ciuitates alienas non fatigentur. Non fuit hæc constitutio in pauperum odium aut fastidium fabricata, & ne ciues eorum importunitate, vocibus, clamoribus, & gemitibus obtunderentur. Sed Patres pauperibus
condo-

condolentes visa, atque damnata opulentorum duricie, qui ipsis petentibus manus auxiliatrices minime porrigebant, ne pauperes fame, miseria, & squalore perirent, communi sententia deliberarunt statuendum, ut vnaquæque ciuitas suos pauperes aleret: quod tunc facile & commodè fieri posset, si quilibet ciuis opulentus suum mendicum alendum susciperet. Quam sententiam & ordinationem veneratus Carolus ille magnus Imperator eandem sua Imperiali authoritate in suis amplissimis ditionibus obseruandam iussit publicari, quando capite nono ad Niumachum ita scripsit: De mendicis qui per plateas discurrunt, volumus ut vnusquisque fidelium nostrorum suum pauperem beneficio, aut de propria familia enutriet, & non permittat alicubi ire mendicando: & vbi tales inuenti fuerint, nisi manibus laborēt, nullus ijs quicquam tribuere præsumat. Non decreuerunt Patres in illa Turonica synodo, nec pius Imperator, ut à communi & humano conuictu, consocietateque humana pauperes expellerentur, nec ut in priuatam domum aliquam tanquam malefici perpetua clausura recluderentur, nec ut vnus eligeretur Pensionarius, qui omnium elemosynarum existeret receptor, nec tot ordines visitantium, postulantium, concomitantium, officiorum, adiunctorum, quorum nomina modò non succurrunt, ecclesiæ inuexerunt. Sed quid? prudentissima constitutione ordinarunt, ut quilibet ciuis in illis prochodochijs, & xenodochijs quæ omnium aut singulorum ciuium, vel ecclesiarum sumptibus erant erecta, vel in ipsis ipsorum pauperum, vel ciuium ædibus suum pauperem alendum susciperet.

R

peret.

peret: ita tamen ut pauperum, suarumque fortuna-
rum primaria cura penes ecclesiasticos viros reside-
ret. Quod facile ciues se facturos pollicebantur, fa-
ciebantque quando authoritate episcopi & totius
ecclesiae, atque Magistratum sanctam illam con-
stitutionem institutam videbant. Hanc tam sanctam
ac prudentem constitutionem tu, qui tanta autho-
ritate, gratia, & fauore apud Senatum vales, pro-
curato negotio eras commendaturus, adeo ut exe-
cutioni mandaretur; non hanc tam nouiciam,
& diuinis atque ecclesiasticis legibus prorsus aduer-
sam comminisci, cum tanta iniuria & prauiudicio
ordinis ecclesiastici, antiquitatis, pauperum, & om-
nium bonorum virorum, & catholicorum etiam
mortuorum offensione: quibus tam sunt chari &
amabiles patrij ritus, & maiorum instituta, ut non
nisi aegre ab eorum obseruantia, religione & amore
diuelli se patiantur. Proinde te rogo, ut missa haec
facere velis, & ad alia quae maiori vsui & ornamen-
to reipub. cui inservis, esse possint, praestanda te ve-
lis ornare. Nec cogites de pietatis monte erigen-
do, in quem pecuniae egentibus mutuandae accu-
mulentur: maiestatem enim Senatus, populi que
Brugensis non decet suam amplitudinem faenore &
vsuris procurare, quae vicia plerumque in similem
pecuniarum cumulum atque negociationem irre-
pere solent. Aequitate, iusticia, prudentia, prou-
daque gubernatione egregiam laudem maiores ve-
stri apud exteras gentes sibi compararunt. Illis igi-
tur eximijs virtutibus est vobis amplificandus ciui-
tatis status, ut antiqua illa faelicitas & gloria, qua per
vniuersum orbem iam pridem Brugensium praecleara gu-
bernatio

bernatio celebrabatur, iamiam refricata saculo multo fœliciori bonorum, prudentum, eruditorum, & clarorum hominum calculis & præconijs solenniùs & honorificentius decantata, iterum apud peregrinas gentes commendetur.

Pleraque alia in tui libri (Vuiti) quatuordecim capitibus subsequentiibus continentur, certè indigna quæ à viro catholico & cordato animo essent concepta, necdum quæ literis mandata in promiscuum vulgus legenda spargerentur. Siquidem interdum theologicas, aliàs ius dicis, mox legum ciuilium constitutiones ac sensa pro sacrarum scripturarum elucidationibus in medium profers: sacra prophanis, & prophana sacris immisces, vt theologus, iurisperitus cum sis, videaris. In quibus refellendis minimè libet, nec tantisper immorari, vt pote quæ leuiores sint, quàm vt in ipsis diluendis viri graues labores suos ac bonas horas debeant collocare;

EPILOGVS.



EN tibi, Lector catholice, proposuimus sacram œconomiam ex sanctis Euangelistarum libris desumptam, quæ Christus nostræ religionis primarius author totum illud triennium, quo in viuis egit, circa pauperum, qui frequentissimo concursu ipsum consequentur, subuentionem, suorum Apostolorum ministerio vtens, obseruauit. Habes item eam quam Apostoli post Christi ascensionem tantisper dum ecclesiam à Christo fundatam atque constabilitam moderarentur singulari religione pauperibus ecclesiæ,

quos solenni appellatione Paulus non semel sanctos solet vocare, subueniendis œconomiam institutam, apud posteros exequendam transmiserunt, cuius certam & exactam rationem ex Pauli epistolis, & Apostolorum gestis diuina Lucae Euangelistæ diligentia scriptis extractam hîc retulimus. Habes item rationem œconomicam gubernationis, quam circa negocia pauperum Patres Apostolorum successores ab eorum inde ætate in vniuersali ecclesia catholica, ne leges à suis principibus atque maioribus conditas transgredierentur, obseruarunt: quam etiam ex sacris pontificum, conciliorumque decretis, Patrumque sanctissimis elucubrationibus exquisitam atque collectam hîc accumulauimus. Habes denique praxim in catholica ecclesia Romana circa pauperum negocia ab episcopis perpetua ac continenti serie Apostolis, suisque successoribus vsque in præsentem diem consequutis exequutioni mandatam. Quam etiam ex diuinis regulis (ita enim sacros canones appellari libet) & ecclesiasticis annalibus apparatam cunctis mortalibus legendam hîc in ordinem redegimus. Operæ precium igitur feceris, catholice lector, qui pro veritatis inuentione sollicitus laboras, si hanc inferiorem in causa pauperum perpetuò ab nostris ecclesijs catholicis, episcopis, & pastoribus praxim obseruatam, ab Apostolis & suis successoribus acceptam ad illam superiorem contuleris, hancque etiam cum ea quã Apostoli, qui politia ecclesiasticæ præstantissimi & admirabiles extiterunt fundatores formatoresque adhuc contuleris, vt collatione facta deprehendas nos minimè rerum nouarum esse authores, nec nouiciarum

uiciarum constitutionum architectos, sed vetustissimarum ecclesiæ, Apostolorumque, atque maiorum nostrorum institutionum, quas maxima pietate, reuerentia, atque obseruantia veneramur, quod ex officio debemus, veros propugnatores. Nec miraberis, si tam seriò ad has nouicias inuentiones impugnandas, ac vti proprias iniurias propulsandas nos accinxerimus, cùm certa & diuturna experientia didicerimus, nihil vnquam maiora excidia, grauiores tumultus, certiores iacturas, ac nocentiores seditiones reipublicæ inuexisse, quàm si cum rerum antiquarum conuulsione nouitium aliquod institutum in ciuitate antiquata præsertim patria & sacra aliqua consuetudine constabilire quis conatus fuerit. Quod non aduertisse illos, qui ratione, & experientia, rerum scilicet magistra, res humanas metiuntur, non possum non maximè admirari. Placuit etiam nobis locos aliquot, cùm plures possemus, ex duobus libellis, qui negocij pauperum tractationem continent, desumptos, refellendos annotare, tum quia libertate maxima, ratione verò nulla præter authoris placitum conscripti videbantur, tum etiam quia si in opus producerentur, amplissimo & catholico Senatui, populoque Brugensi semperiternum dedecus inuississent: vel ob id maximè, quia libris sacris, conciliorum diuinis oraculis, Pontificum decretis, sacris canonibus, Patrum sententijs, ecclesiarum vetustæ & laudatissimæ consuetudini, ac denique mortuorum, & viuentium vltimis ac pijs votis maximè aduersabantur. Vbi hæc omnia animo agitaueris atque pro dignitate grauissimam hanc rationem, quæ nobis huius causæ defen-

tionem persuasit suscipiendam, discussis, quæ est veritatis catholicæ ecclesiæ amor, & antiquitatis veneratio: probabis haud dubiè labores nostros, nosque bene meritos non modò de ecclesia catholica, de honestis, pijs, & probis ciuibus, verùm etiam & de amplissimo Senatu, honestissimoque populo Brugensi nos optimè mereri prædicabis. Vale.

Sequitur deliberatio Burgimagistrorum atque Scabinorum Senatus ciuitatis Brugensis in negotio pauperum seruãda, anno 1564. pronunciata, cum responsione fratris Laurentij à Villanicientio Xerezani doctoris Theologi, Augustiniani eremite, R. Episcopo eiusdem ciuitatis, qui hoc ab ipso petierat, exhibita.



BURGIMAGISTRI, Scabini, & Consiliarij ciuitatis Brugensis habita longa & crebra deliberatione pro inuenienda bona & pia constitutione super statu validorum, vagabundorum, tam incolarum huius ciuitatis, quàm exterorum recenter aduenientium, & aliorum pauperum, concluderunt se curaturos obseruari sequentes articulos.

Articulus.

1. PRIMO quod in sequèdo edictum fœlicis recollectionis Cæsareæ Maiestatis Caroli promulgatum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo super statu pauperum, ac ipsum rursus publicando si necessarium sit, inhibebunt omnibus viris, fœminis,

Fœminis, paruulis clanculariè, aut publicè mendicare in aliquo loco huius ciuitatis, aut Scabinatus, exceptis ordinibus mendicantium, commissarijs captiuorum, leprosis, & pauperibus scholasticis scholarum huius ciuitatis.

RESPONSIO FRATRIS LAVRENTII AVILLAVICENTIO D. THEOLOGI.

IMPERIALI decreto prorsus iudico esse obsequendum.

Ad primum articulum cum pace eorum qui meliùs sapiunt, ita mihi respondendum videtur.

Quòd pauperes validi, fortes, & ociosi cum veris ac miseris inuoluerentur pauperibus, iniquum est, & contra omnem pietatem Christianam. Paulus illos laborare iussit: Christus & Paulus his à diuitibus subuenti volunt, & iubent. Eijciantur igitur fortes & validi erronei, qui rempublicam maximè grauant, & ipsi multa & grauissima vicia inuoluerentur tamen, & foueantur miseri atque vlcerosi, & veri Christi pauperes. Primò quia subsidijs quæ illis præstamus, nobis Deum reconciliamus, offensum placamus, & vitam promeremur æternam. Dicit Christus: Quia esuriui, & deditis mihi manducare.

2. Thes. 3.

Luc. 6. & 11.

Matthæi 20.

& 25.

Deinde Christum nobis repræsentant. Post, ipsis conspectis, fastum dimittimus, & humilitatis admonemur, miserandamque eorum sortem considerantes ad mentem auersi redimus. Non est ciuitas Christiana, in qua pauperibus Christi, siue exteri, siue interni sint, præciso, & non perpetuo tempore licet agere. Veros igitur pauperes fastidire, quia importuni, vel horrescere, quia vlcerosi, impium

Chrysof. hom.

30. in 12. cap.

epist. ad Corin.

est, & parum Christianum. Et contra vetustam ac laudatissimam ecclesiæ catholicæ consuetudinē est, pauperes Christianos humana consocietate reijcere.

Præterea Magistratus nec potest, nec debet inhihere quo minus liceat Christi pauperibus honestis necessitatem suam atque miseriam pijs viris & ditioribus secretò manifestare, ab ipsisque petere sibi (si velint) succurri: est enim contra leges diuinas hoc vetare.

Articulus.

2. Sic tamen istud intelligatur, quòd pauperes, miserabiles, decrepiti, paruuli non potentes victum quærere labore manuum (verùm nulli alij) poterunt ab hora duodecima vsque ad medium secundæ in monasterijs, & præ foribus diuitum petere reliquias prandiorum, non tamen licebit illis accedere conuiuia nuptiarum, exequiarum, aut similibus celebrium congregationum, ne hac ratione detur eis occasio toto die postulandi stipem, ac sic intermittere sua opificia: sed ad ea loca tenebuntur ire commissarij pauperum cum auxilio officiariorum, recepturi superflua cibi, & potus, vt ea distribuant pauperibus domesticis decumbentibus, non potentibus statuta hora mendicare.

Responsio.

In hoc articulo fit magna iniuria viuis, & mortuis, & ipsis pauperibus. Nam præsentia pauperum nihil obest conuiuantibus, prodest verò multum. Siquidem viso paupere compunguntur, & à luxu, & insolentia, intemperantiaque, quæ in conuiujs regnare solent, retrahuntur conuiuantes, ad melioraque sectanda, vel saltem cogitanda eorum conspectu

Et incitantur. Christus non reprehendit Lazarum, quòd cõuiuijs diuitis sese ingessisset, sed diuité damnauit, quòd ei non subuenisset. Nec reprehendit Magdalenam, quòd se conuiuantem accessisset, sed laudatam maximè defendit. Fit iniuria defunctis, si à suis funeribus ablegentur: nam eorum animæ suis eleemosynis iuuantur, & pœnis leuantur: quod scriptura, concilia, & Patres ecclesiæ constanter affirmant. Fit iniuria pauperibus, quia suo beneficio priuantur. Nec est permittendum, quòd officiales ciuitatis illis contribuant quæ morientes ipsis legauerint. hoc est ius vsurpare in testantium voluntates.

Articulus.

3.

Vt inhibitio hæc executioni mandetur, Senatus constituat quatuor personas insignitas insignibus ciuitatis, quæ nominabuntur Officiarij pauperum, quibus in subsidiũ adiungentur duo ministri Burgimagistri, aut Prætoris. Inseruire & obedire tenebuntur officarij prædicti commissarijs pauperum, & magistris mensarum sancti Spiritus. Incumbet etiam officarijs aduigilare, ne quis mendicet alio tempore, aut loco quàm concessum est: poterunt enim rebelles & ipsis non auscultantes in carcères deducere puniendos secundùm placitum Scabinorum.

Responsio.

Quatuoruiratus hîc non est instituendus contra pauperes Christi. Primò, quia hæ quatuor personæ cum alijs duobus ministris essent sustentandæ eleemosynis pauperum, & eorum victu duodecim sustentarentur pauperes. Præterea hi corrupti, vel affectibus seruietes, malos & vagos possent admit-

tere, & bonos reijcere ac veros Christi pauperes. Deinde iniquum est, vt priuatis viris permittatur libera facultas sæuendi pro sua libidine in pauperes Christi tanquam in canes: vnde magnum oriretur scandalum, & esset timenda seditio. Nam vulgus solebat tales personas seu officiales vocare fugatores Dei.

Articulus.

4. Ministri Burginagistrorum, ac Prætoris huius ciuitatis requisiti à commissarijs pauperum, aut magistris mensarum sancti Spiritus, vt aliquot vagabundos aut mendicantes apprehendant, aut etiam rogati ab officarijs pauperum tenebuntur sine mora parère sub pœna priuationis sui officij, aut alterius punitionis statutæ per Scabinos, ac tenebuntur ad carceres deducere apprehensos. Recipient autem prædicti ministri iusticiæ pro quolibet captiuo quatuor grossos monetæ Flandricæ.

Responsio.

Statutum hoc articulo contentum multò iustiùs esset latum in ociosos, vagos, blasphemos, ebriosos, & seditiosos latrones, quàm in pauperes Christi. Grauiissima esset infamia ciuitatis catholicæ, quòd pauper Christi quia mendicabat, esset conijciendus in vincula. Indeque essent pertimescenda quàm plurima & grauiissima scandala, ac seditiones, & Christi diuina indignatio. Nec iustè eam ob causam Senatus potest illos conijcere in vincula, peccabitque mortaliter cum hoc fecerit. Nam mendicare non est crimen, nec facinus, nec factum seditiosum, sed opus sanctum ac pium & naturale, cui
Christiani

Christiani commiserationem & fauorem debent præstare, non in vincula nec in carceres rapere.

Articulus.

Ad hæc tenebuntur officarij pauperum quotidie sub vespera, commoda hora visitare xenodochia, ænopolia, ac alia loca, in quibus peregrini ac mendicantes excipi solent hospitio, rogaturi ex illis unde venerint, quò tendant, & quid opificij exerçant: illos autem de quibus erat mala præsumptio, conijcient in carceres. Obligati erunt hospites talium hospitiorum, ac rectores xenodochiorum admittere hanc visitationem aperiendo domos ac cubicula, non negando præsentiam vagabundorum ac mendicantium, aut tales occultando, sub pœna correctionis iudicio Scabinorum.

Responsio.

Articulus hic est suspectus, quamuis eius auctores sint catholici & pij viri. Non est laicorum visitare xenodochia, nec alia loca sancta, in quæ sese recipiunt pauperes: hoc ex diuino & communi iure episcopo, presbyteris, diaconis, alijsque ecclesiæ ministris incumbit, quod testantur sacri canones: non prophanis Magistratibus. leges diuinæ & sacri canones sæculares Magistratus ab hoc excludunt munere. Propterea episcopum ea qua possum reuerentia rogo, obsecro, & obtestor, ne hoc ferat. Peccabit mortaliter, & contra immunitatem ecclesiæ, & naturam suæ dignitatis fecerit, si hoc permiserit. Multò grauius peccabit Senatus si per Theologos catholicos admonitus, huic negotio modum non imposuerit. Quòd si res postulauerit, minimo negocio

negocio probabimus. Sapit Lutheranismum hæc constitutio.

6.

Articulus.

Nemo audeat commissarijs, magistris mensarum pauperum Spiritus sancti, officarijs pauperum, aut eis adiunctis iniurius esse, aut acclamare in ministerio suæ functionis, aut alia ratione molestus esse, aut verbo, aut opere, sub pœna sex librarum requirendarum à molestantibus, nec non à parentibus puerorum qui talia patrarent, & præterea sub correctione personarum delinquentium iudicio Scabinorum.

Responsio.

Hic articulus tres ordines hominum continet, scilicet, commissarios, magistros mensarum sancti Spiritus, officarios pauperum, & his adiunctos. Ecclesia non agnouit hos novos ordines. Apostoli instituerunt diaconos, vt inter alia ministeria sacra pauperum etiam curam susciperent. Senatus igitur non potest ordinem ab Apostolis institutum conuellerè, & alios novos ordines instituire. Præsertim cum ad episcopum, & pastores ex diuino iure spectet eos eligere, qui pauperum, & eorum eleemosynarum prouinciam administrant. Graue incommodum sequeretur pauperibus Christi ex multiplicatione istorum ordinum ministrorum. Siquidem bona pars eleemosynarum in his hominibus eleemosynarijs sustentandis insumeretur. Est res indigna, quòd præsentè episcopo Senatus curet ea quæ sunt ecclesiæ, & episcopi. Estque præludia quædam proferre, quibus testatum faciamus, nobis illorum hæreticorum dogma placere, qui docent ad prophanum Magistratum primariam rerum ecclesiasticarum curam

&

& dispositionem pertinere.

Articulus.

Si accidat in hanc ciuitatem venire redactos ad paupertatem bello, incendio, aut inundatione, aut simili aperto infortunio, quòd illis ex bursa communitatis pauperum certo tempore, ex sententia commissariorum dabuntur elemosynæ, quibus tenebuntur repetere loca relicta, aut alia ipsis grata, nisi periti sint alicuius opificij aut artis, qua sibi de victu prospiciant sine alicuius grauamine.

Responsio.

Placet mihi quòd infortunatorum hominum ea habeatur ratio, qua suis calamitatibus partim consulatur, modò ipsis liceat subsidium postulare impunè. Placet etiam quòd Senatus validos ac valentes ad operas compellat, & eas subire recusantes in exilium mittat.

Articulus.

Quò ad omnes alios ignotos pauperes, peregrinos, postridie quo ingressi fuerint ciuitatem, cogen-
tur eam relinquere, habito viatico à commissarijs: & si qui mendicantes reuersi in ciuitatem, in ea rursus mendicent, conijcientur in carceres iudicio Scabinorum.

Responsio.

Pauperes veri cuiuscunque sint regionis semper sunt noti, nullusque talis est nobis habendus ignotus. Et sicut ex diuino iure ac naturali in illo die per Senatum illis permissò eis est licitum cibum mendicare, ita ex diuino & naturali iure id ipsis per reliquos dies etiam petere licebit. Quòd verò vnus diei spacium illis permittatur, quo in ciuitate herere possint,

possint, est sanctum & pium. Quòd autem postri-
die relegentur, hoc est contra sacram scripturam, &
iniquum, multo autem iniquius & atrocius, quia
idcirco quia mendicent premente necessitate, sint
cõijciendi in vincula. Carceres non sunt facti in pau-
peres, sed in fures, sicarios, latrones, & hæreticos
recludendos: quibus si impunè licet vniuersam ci-
uitatem discurrere, quare non licebit pauperibus

Exod. 22. Christi? Præsertim cùm Dominus dicat: Aduenam
non contristabis, nec affliges eum: aduenæ enim &

Leuit. 23. ipsi fuistis in terra Aegypti. Et alibi legimus Deum
dixisse: Nec remanentes spicas colligetes, sed pau-

Dent. 14. peribus, & peregrinis dimittetis eas. Et alibi: Pere-
grino qui intra portas tuas est, da vt comedat. Non

iubet Dominus vt triduum tantùm pauperem in no-
stris ciuitatibus agere permittamus, sed integros an-
nos: idcirco enim spicas vt comederent totum an-
num permittendas præcepit. Christus item non fe-

cit discrimen inter pauperes ciues, & externos, nec
præstituit certũ tempus, quo illi's indigentibus sub-
ueniremus: sed omnibus pauperibus, & semper ius-

sit fore subueniendum. Paulus enim ad Romanos
dicit Macedones & Achaïos debitores esse pauperi-

Cap. 15. bus qui erant in Ierusalem: placuit enim eis, & debi-
tores erant eorum. Non ait se debitores esse paupe-

ribus suæ ciuitatis tantùm, sed pauperibus qui erant
in Ierusalem, quæ ciuitas erat alterius gentis, & re-

gni. Ex definitione igitur Pauli cuncti Christiani v-
niuersis pauperibus cuiuscunque sint gentis, regni,
aut ciuitatis, sunt debitores.

9.

Articulus.

Verùm quoniam superius interdicta est mendi-
citas, monebuntur & coguntur sani & apti laborare,

secundum conditionem personarum, sub pœna correctionis Scabinorum, pauperum commissariorum ad hoc destinatarum: si planè recusent sese componere ad operandum.

Responsio.

Iustum est hoc statutum, modò in vagos erroneos ac desides sanos executioni mandetur: non autem in Christi pauperes imbelles ac tabidos & miseros.

Articulus.

Vt amputetur omnis excusatio eorù qui dicerent multorù operam à multis conducì, tenebuntur ministri siue clerici opificiorù, & negociatorù huius ciuitatis inquirere, qui magistri artiù mechanicarù egeant seruis, indicando eorù nomina singulis septimanis cõmissarijs pauperum. Poterunt etiã ciues & incolæ ijsdem cõmissarijs indicare quibus operarijs aut seruis egeant in suis familijs & artibus: nam prædicti cõmissarij obligabuntur in registro omnia describere. Si verò accidat nullù ad aliquod opus conducere mendicantes, cogentur illi iusto stipendio operari in rebus ciuitatis.

Responsio.

Politica & est honestissima hæc institutio, ea tamè lege, ne officarijs permittatur pauperes Christi vexare & affligere.

Articulus.

Quoad paruulos si quis illis sit grauatus, apti studijs collocabuntur in schola ciuitatis: qui verò literis idonei non reperientur, illorum curam habebunt rectores scholarum, masculos destinando alicui opificio mechanico, puellas seruicio diuitum, iudicio commissariorum pauperum. Cogentur autem omnes qui aluntur prouentibus mensarum Spiritus S. aut communibus eleemosynis, si ad annos discretionis peruenerint, octauo die à celebritate paschatis

testimonium adferre quòd confessi fuerint, & sum-
pserint venerabile corpus Domini sub pœna priua-
tionis eleemosynarum, nisi habeant legitimam ex-
cusationem. Curabunt etiam commissarij paupe-
rum quòd omnes tam senes quàm iuuenes viuen-
tes prædictis eleemosynis calleant orationem domi-
nicam, & alias preces ecclesiæ.

Responsio.

Hic articulus cõtinet statutum pietate refertum.
Sed non est Magistratus iuventutem instituendam,
nec de doctrina Christiana informandam suscipere:
hoc proprium est episcopi, & pastorum, non Ma-
gistratum. Apostolis & suis successoribus Chri-
stus dixit Marci ultimo: Euntes in vniuersum mun-
dum prædicate Euangelium omni creaturæ. Præ-
dicat Euangelium qui pueros docet catechismum.
Non est officium Magistratus euangelizare. Et Mat-
thæi ultimo dixit Christus suis discipulis: Euntes
ergo docete omnes gentes baptizantes eos, & do-
centes eos seruare omnia quæcunque mandavi vo-
bis. Paulus etiam in suis epistolis, & canones sacri,
sacraque concilia, & Patres ecclesiæ docent constan-
tissimè curam pauperum, & scholarum inspectio-
nem ad episcopum & pastores, non ad Senatū pro-
phanum spectare. Quod luculenter probatur exem-
plo D. Marci, de quo refert Philo apud Eusebium,
& Hieronymus libro de ecclesiasticis scriptoribus,
quòd primus in Alexandria vrbe Ægypti scholas
instituendis catechumenis, & fidelibus docendis,
deque sacris doctrinis instituendis erexit. Et hi-
storia ecclesiastica idem restatur. In veteri testamen-
to filij Iudæorum docebãtur legem à suis prophetis
&

Hist. eccles. lib.
2. cap. 17.

Lib. 10. ca. 14.

& scribis, quod manifestè constat ex historia Samuelis, & in Actis de Gamaliele. Et non possum satis admirari qua conscientia Senatus huius prouinciæ sollicitudinem & curam habendam episcopo & pastoribus in scholis puellaribus, & puerilibus huius ciuitatis Brugensis non permittat, sed sibi usurpet. Quòd pauperes teneantur prodere suos expiatores, eosque qui sacram eucharistiam ipsis communicarunt, idque graui & certo argumento mihi probatur, & vtinam ad hoc omnes ciues promiscuè in ciuitate compellerentur: verùm id muneris sibi usurpare nec iure potest, nec honestè debet Senatus. Siquidem eius rei inquisitio & cognitio ad episcopum & pastorem spectat, iuxta illud Proverbij: Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Et iuxta illud, Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quæ verba coapostolis & condiscipulis, episcopis & pastoribus Apostoli dixerunt, non Senatoribus prophanis nec ciuilibus Magistratibus: qui dum hæc munera sibi usurpant, episcopos se profitentur & pastores, quod est hæreticum.

Articulus.

Quantum attinet ad pauperes calamitosos infirmos, ac decrepitos, qui in hac ciuitate egerint anno aut circiter, non sufficientes victui lucrando, contentur illi, curabiturque illorum infirmitas, si ea sanari possit, pecunia bursæ pauperum. Verùm reliqui omnes pauperes qui ex alijs locis huc venerunt infra vnum annum, non valentes viuere labore manuum suarum, remittentur ad locum natalem, aut

S

priorem

1. Reg. cap. 1.

2. & 4.

Reg. 4.

Act. 5.

Proverb. 27.

Act. 20.

12.

priorem habitationem, numeratò illis viatico, nisi tales operari velint, sicut prædictum est.

Responsio.

Huius articuli institutio sancta est & pia, essetque sanctior, si non vnus anni pauperes ad curationem susciperentur, sed omnes promiscuè cuiuscunque sint temporis, & conditionis. Omnibus ægris & calamitosis iussit Christus à nobis opem ferri quando dixit: Qui vnum talem in nomine meo suscipit, me suscipit. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Non dicit: Quod vni qui per annum in ciuitate vestra fuit, fecistis, mihi fecistis. Peccat Magistratus cōtra ius diuinum & naturale quando hos pauperes priuat beneficio fidelium, expellendo eos sua ciuitate.

Matth. 18.

Marci 9.

Luc. 9.

Matth. 25.

Articulus.

13.

Vt autem distributio eleemosynarum rectè fiat, necessum est, vt priùs in qualibet parœchia aliquot Scabini, magistri mensæ S. Spiritus, commissarij adiuncto pastore parœchiæ (si id ei placeat) inquirant sedulò in omnibus domibus inhabitatis à pauperibus de personarum inhabitantium ætate, conditione, loco natali, tempore, quo hîc egerunt, ac mendicauerunt, præscribentes tunc temporis deputati Senatus, pastor, commissarij, ac magistri mensæ sancti Spiritus communicato consilio, quid ipsis singulis septimanis dabitur attenda earum paupertate, ac necessitate, quorum certa habebitur descriptio: sic tamen quòd futuris temporibus poterit preciũ augmentari ac minui consensu pastoris, commissarij, ac magistrorum mensæ Spiritus sancti.

Responsio.

Responsio.

Quæ hoc articulo continentur, in graue præiudicium dignitatis episcopi, pastorum, & pauperum sunt instituta. Nam, quod sequenti proximo articulo probabimus luculentiùs, episcoporum est & pastorum, aliorumque ministrorum ecclesiæ dignoscere, qui sint veri pauperes ac facultatum ecclesiasticarum & fidelium eleemosynarum participationem admittendi. Iuxta illud: Neque enim quisquam egens erat inter eos: quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Hæc diuisio iuxta omnium Patrum sententiam per Apostolos, non per prophanos homines fiebat. Idem & Paulus ad Timoth. ita iubet: Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnus viri vxor. Delectio hæc non iubetur à Paulo fieri per Scabinos, nec per homines prophanos, sed per Timotheum atque per alios presbyteros, diaconos, aliosque ecclesiæ ministros. Fit etiam iniuria honestis pauperibus, qui suas miseras Scabinis, officarijs, magistris mensarum pauperum, & alijs adiunctis, & ministris expectandas & iudicandas debeant proponere. Quod præiudicium vitabunt si per suum pastorem tantum aut alios ædiles suis indulgentijs subuentum fuerit.

Act. 4.

Cap. 5.

Articulus.

14.

Vt autem reperiatur pecunia principijs huius constitutionis exequendæ necessaria, in primis sollicitabuntur personæ ecclesiasticæ, ac sæculares huius ciuitatis, vt promoueant initia huius pij instituti suis

eleemosynis, nec non vt singulis hebdomadibus aliquid ad progressum constitutionis conferant, sicut in sequentibus luculentiùs declarabitur.

Articulus.

15. Quòd statutæ personæ & rei deputatæ in singulis septimanis parabunt se aliquo certo die cuiuslibet septimanæ requirere eleemosynas cõmunitatis huius ciuitatis, ad progressum huius instituti.

Responsio.

Christus iussit eleemosynam pauperibus dare, non autem pro illis mendicare: illud est præcepti, hoc consilij. Hæreticum est asserere, quòd eleemosyna potentibus non sit præcepta.

Articulus.

16. Curetur etiam vt obligentur commissarij singulis diebus dominicis, ac maioribus festiuitatibus in singulis parochijs, ac monasterijs maximè quatuor ordinum mendicantium, vt requirant eleemosynas piorum. Constituantur etiam in singulis ecclesijs parochialibus, ac monasterijs maximè quatuor ordinum mēdicantium gazophylacia cum descriptione curæ pauperum, quibus cuilibet liberum erit imponere suas eleemosynas.

Responsio.

Serm. 8.
Serm. 26. Petrus Chrysologus episcopus Rauenas, & Cæsarius episcopus Arelatensis docent manus pauperum esse gazophylacium Christi: huic sententiæ astipulatur Chrysof. ad populum Antiochenum, & Ambrosius, atque Augustinus quàm plurimis locis. Non opus est igitur altero gazophylacio. Chrysof. in primam epistolam Pauli ad Timoth. ad hoc propositum dicit fidelibus dum eos ad eleemosynas faciendas

*Hom. 26. &
27. 28.*

Capit. 5. homelia 14.

ciendas exhortatur: Christiane, inquit, noli præfili ecclesiæ ista tribuere partienda, ipse potiùs ministra, ne solius impendij verum & obsequij percipias præmium: proprijs eroga manibus, tu sulcum fere pietatis. Et paulò inferiùs: Tu fere. quid teipsum mercede priuas? Et paulò pòst: Multum confert pauperum ipse conspectus.

Articulus.

Quòd legislatores ad progressum & perseverantiam huius piæ constitutionis inducant pastores, ac concionatores, vt istud pium institutum in suis concionibttis, & alijs congressibus spiritualibus ex animo commendare velint, vt libèter ac liberaliter suis facultatibus contribuant cõmunitati pauperum, necnon vt exhortentur ægroto's, vt memores sint in vltimis suis voluntatibus cõmunitatis pauperum.

17.

Responsio.

Non est legislatoris prophani, nec Burgimagistrorum qui sunt legislatores ciuium, leges ferre ecclesiasticis, neque ipsos exhortari vt populum in suã sententiam inducant, iuxta illud quod dicit sacerdotibus Petrus: Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè coram Deo. *1. Pet. 5.* Et iuxta illud quod Christus dixit: Quòd pastor ouium vocat eas nominatim, & ducit eas, & oues vocem eius audiunt, & oues eum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Senatores, Burgimagistri oues sunt, non pastores, non debent pastores suos negligere. Indignum est in ciuitate catholica oues pastores docere, & eos præcedere, quod nisi ecclesiasticæ religionis statu conuulso, fieri minimè potest. *Ioh. 10.*

S 3

Articulus.

18.

Articulus.

Ad progressum huius pij instituti necessum erit Magistratum obtinere habito consilio cum pastoribus, & magistris mensarum sancti Spiritus, deductis oneribus foundationum ordinariarum, ac aliorum onerum, vt residua prouentuum impendantur bursa pauperum, vt prædicti prouentus cum elemosynis receptis distribuantur pauperibus egentibus per commissarios ciuitatis, magistros mensarum Spiritus sancti adiuncto pastore cuiuslibet parochiæ (si ei placeat adesse) quemadmodum constitutum est per edictum Cæsareæ Maiestatis de regimine pauperum, anno 1531.

Responsio.

Petitio hoc articulo contenta est contra sacros canones, præsertim contra illum cap. Vltima voluntas. & contra canonem De religio. Dom. in Clementin, qui canon non admittit præsumptuosam interpretationem ac voluntariam Vuitisij, nec Ludouici Viuis, nec Andreae, qui rogatus fuit in casu hospitalis. Est etiam contra leges Imperiales. Quòd si res ita postulauerit, efficaciter & verum ostendemus. Impium est sanè, pias mortuorum voluntates suis decretis ac votis defraudare. Senatum ea, qua possum, reuerentia admoneo, & obsecro ne hanc auctoritatem interpretandi defunctorum voluntates, aut commutandi sibi velit vendicare. Est enim res indigna sua pietate & religione, & quæ mirandum in modum Principem, & catholicos viros offenderet & scandalisaret. Hoc spectat ad pontificem, non ad Senatum: nec pastores hac in re quicquam intentare possunt, nec eis licet quicquam permittere, nec sua permissio

hac

Can. 13. questione 2. & capite 2.

hac in re vllius erit futura momenti : quia dant id quod non est suum, sed sui officij.

Articulus.

19.

Opus erit etiam quòd Senatus benigna quadam ratione, aut per priuilegium obtineat, quòd xenodochia huius ciuitatis aliquid in subsidium huius institutionis singulis annis tribuant, pro amplitudine prouentuum quolibet trimestri elargiendo certam portionem. Nam hospitalia hoc instituto exonerabuntur: pauciores enim ægroti aduenient, & mendici hospitabuntur rariores, qui etiam obligantur ad hoc prædicto Cæsareæ Maiestatis edicto.

Responsio.

Hic articulus proponit quædam hospitalia fore suis residuis prouentibus minuenda, vt ærarium pauperum ciuitatis intumescat. Grauis iniuria fit mortuis, qui pietate ducti instituerunt eleemosynas in illis locis fieri, & nō alibi, nec viuētes hoc tollere possunt. Senatus, & plerique alij viri possunt de ærario publico, & de suis priuatis opibus rebus pauperum prospicere. Nam pauperibus eripere quæ pauperibus contribuantur, perinde est atque vnius spolijs alterius nuditatem ornare. Nec hoc licet cum tantâ temeritate sacrorum canonum, & diuinarum legum, atque humanarum, eius præsertim canonis, Ultima voluntas. Nec est in re tam graui standum interpretationi Andreæ, quam sequitur Viues, & post hunc Vuitius. Compellātur administratores hospitalium tot pauperes alendos, & curandos suscipere, quot hospitalis facultas sustentare possit.

Can. 13. q. 2.

Articulus.

Omnes multæ adiudicatæ utilitati pauperū per 20.

Senatum, decanos, operarios, & similes, dabuntur commissarijs pauperum.

Responsio.

In hoc articulo, atque in duobus sequentibus, scilicet 21. 22. nihil habent quod responsionem à nobis requirat.

Articulus.

21. Placeat etiam Magistratui ordinare quòd in posterum pro omnibus contractibus ineundis coram Scabinis, de quibus conficientur literæ signatæ sigillo duorum Scabinorum, aut ciuitatis, clericus siue scriba ad subsidium communitatis pauperum huius ciuitatis tenebuntur statim dare duos grossos monetæ Flandriæ, de quibus singulis mensibus Pensionarius reddet rationem, & solutionem ostendendo registrum suorum contractuum requisitus: non poterunt tamē scribæ aut clerici hac ratione pro factura literarum à populo exigere aliquid ultra taxam illis præscribendam, ac affigendam in domo ciuica. Si quis autem eorum fraudulenter inueniatur, puniatur is priuatione, aut suspensione sui officij, aut alia ratione iudicio Scabinorum.

Articulus.

22. In omnibus venditionibus, & elocationibus ex parte ciuitatis factis, qualescunque fuerint, emptor, aut conductor teneatur dare pro terris ad utilitatem communitatis pauperum, ultra pretium emptionis, aut conductionis duos grossos monetæ Flandriæ, de qualibet libra grossorum: debet autem congruo tempore venditor aut elocator venditionem, aut elocationem aperire.

Articulus.

23. Quòd Pensionarius pauperum teneatur recipere pecuniã, quam xenodochia singulis annis ad institutũ dabunt

dabunt, etiã multas, ipsos duos grossos contractuũ, venditionum, & elocationum terras, nec non quod receptoribus singularum parochiarum in fine anni superesse poterit, accipiet etiam omnes alias incertas eleemosynas datas pauperibus, non receptis à particularibus receptoribus singularum parochiarũ egen- tibus, cogeturque Pensionarius prædictus omnem rationem reddere Scabinis sub finem anni, statim soluendo si quid superfit.

Responsio.

Hic articulus planè est contra canonè Apostoli- cū, qui sic habet: Præcipimus vt in sua potestate res ecclesiæ habeat episcopus: si enim animæ hominum preciosiores illi creditę sunt, multo magis decet eũ curam de pecunijs agere: ita vt eius potestate omnia pauperibus dispensentur per presbyteros, & diaconos, vt cum timore & omni sollicitudine ministrentur. Cũ in hac ciuitate sit episcopus, & hoc negociũ ad ipsum spectet: non video, cur honestè nec piè eius dignitas sit contemnenda, & eius officiũ vsurpandũ. Paulus ait: Nunc igitur proficiscor in Hierusalẽ ministrare sanctis: probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationẽ aliquam facere in pauperes qui sunt in Hierusalẽ: hoc igitur cũ consummauero, & assignaue- ro eis fructũ hunc per vos, proficiscar in Hispaniam. Populus qui erat in Achaia, & Macedonia Paulo dant suas pecunias pauperibus distri- buendas: non pensionariũ eligunt sui ordinis. Sed si quisquam sit qui dicat, Da mihi Paulũ inter clericos huius sæculi, & dabimus ei pecunias, his responsum sit, Si non sint Pauli inter clericos, nec arbitror esse inter seculares, nec Scabinos.

Can. 40.

Rom. 15.

S s

Paulus

1. ad Cor. 16.

Paulus Galatiæ, & Corinthi instituit mensam & collectam pauperibus, non prophani homines: De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite.

Lib. 1. ep. 10.

Receptores bonorū pauperum præter alia officia, quibus in sacris mysterijs fungebantur, sunt à Patribus primitiæ ecclesiæ instituti Archidiaconi: hi eligebantur ab episcopis, non à Senatibus: hi recipiebant pecunias, non Pensionarij. quod cōfirmatur historia S. Laurentij, cui papa Sixtus thesauros ecclesiæ pauperibus distribuēdos commisit. Cōfirmat etiam hanc sentētiam beatus Hieronymus, qui epistola ad Nepotianum sua ætate hos diaconos qui pauperum eleemosynas recipiebāt præter alia quæ in sacris mysterijs administrabant munera, fuisse cognitos & institutos docet. Penes hos erat summa reddituū, possessionum, supellectilis, & quotidianarum oblationum procuratio: hoc testatur & cōfirmat Gregorius, qui Salomitano Archidiacono denunciatur reatu constrictum teneri ipsum, si quid ex bonis ecclesiæ, vel negligentia, vel vllius fraude deperierit. Stephanus etiam diaconus erat, & prædicabat exhortabaturque populū ad pietatis opera: stabat, ministrabatque Apostolis celebrantibus, ac tandē eleemosynarum curā gerebat. Non debet igitur nec potest Senatus eligere Pensionariū, qui eleemosynas pauperū recipiat, quasi clerici fures sint & latrones, atque infideles ministri, aut quasi clerus planè res spirituales nō curet, ac illas reijciat, & Senatus velit ipsas curare. Nec potest institutioni derogare Apostolorum. Non potest Senatus reijcere ecclesiasticos ministros, & alios sui ordinis instituere.

Episcopo,

Episcopo, & non Senatui prophano huius œconomix rationes quotannis solebāt reddere hi diaconi, & alij ministri catholici, qui ipsis in negotio pauperum erāt subsidio. Hinc est quòd canones sacri tā frequenter episcopū bonorum ecclesiæ, & pauperū faciūt dispensatorē: quia ipsius authoritatis erat prescribere diacono, alijsque ministris ecclesiæ qui in publicā alimoniam essent recipiendi: deinde quibus & quantum cuique erat tribuendū. Inspectio enim (scilicet quis esset catholicus, quis suspectus, quis famosus peccator, quis verò pœnitēs) ad ipsum episcopum, & suos pastores spectabat, non ad prophanos homines. Hinc est quòd omni cum pietate Senatum rogo, quatenus dignetur studiosiùs & circūspectiùs rem hanc quā bono zelo intentant, discutere, atque de ea maturiùs deliberare, ne dū pietatē meditatur, impietatis reatū incurrat corā Deo, & Christo Iesu.

Episcopū etiam non posse hoc inconsultis suis pastoribus, suaque ecclesia permittere, scriptura sacra, & concilia confirmant. Nam primò non est illi data potestas ad destructionē, sed ad ædificationem teste Paulo. Quòd autē hoc factum destruat ecclesiā, constat ex propensione quā populus habet ad hæresim. Qui si ratione eleemosynarū, & alijs medijs oportunitioribus in officio non contineatur, timendum est nos breui maiorem habituros copiam hereticorum, quàm vellemus.

In concilio Antiocheno decretū est vt coerceātur episcopi, qui sine presbyterorū & diaconorum conscientia res ecclesiæ pertractauerint. Et cap. Præs. Gregorius, & cap. Mos est. Gregorius dicit: Mos est Apostolicæ sedis ordinato episcopo, præcepta dare vt de
omni

2. Cor. 10.

Cap. 35.

Cap. 16. 9. 3.

Cap. 12. 9. 8.

omni stipēdio, quod prouenit, quatuor fiant portiones: Vna videlicet episcopo, & eius familiæ propter hospitalitatē atque susceptionem: altera clero, tertia pauperibus, quarta reparandis ecclesijs.

Episcopus etsi maximè velit, non potest sese hac pauperum cura abdicare, vt quæ de intrinseca ratione sui officij sit, hospitalitatem apud se exercere, & alibi in hospitalibus pauperes curare teste Paulo: Oportet, inquit, episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobriū, prudentem, hospitalē, doctorem. Sicut de ratione sui officij est esse didacticū, ita est esse hospitem, & pauperum curatorem. Et sicut illud docendi officium à se reijcere non potest, ita nec illud hospitalitatis.

Episcopi successerunt Apostolis non tantum in dignitatem, atque potestatem, verum in sollicitudinem ac diligentiam. Fuit primaria sollicitudo Apostolorum pauperum curam gerere. Quod testatur Paulus pluribus locis. Non ergo potest episcopus curam pauperum à se reijcere, nec Senatoribus permittere. Nec Senatus eam potest inuadere, nisi diuinis læsis legibus, violataque episcopali & ecclesiastica dignitate.

Articulus.

24. Collectæ istæ eleemosynæ distribuētur veris pauperibus per commissarios constituendos, quinetiam per Senatum, pastores, & magistros mensarū S. Spiritus, quorū munus erit aliquo die cuiuslibet septimanæ circuire parochiam visitaturi pauperes, quibus necessaria distribuent ex dictamine conscientiae, constituendo portiones solitas in ecclesijs. Cōparabunt illi etiā pauperibus vestes, quas illis tradent ante celebritatem omnium sanctorum, vt præseruentur pauperes

1. epist. ad
Timothæum

Rom. 15.

Gal. 2.

1. ad Corinth. ultimo.

2. Corinth. 8.

9. & 10.

peres ab infirmitatibus, in quas incurrere possent ex
prima sæuicia frigoris. *Articulus.*

25.

Nemo audeat emere aut vèdere bona pauperum,
aut vestes eorum pro mutuo dato pignoris loco ser-
uare, sine scitu & consensu magistrorum mensarū S.
Spiritus, sub mulcta sex librarum Parisiensium, in-
currenda per emptorem: pauperes verò vendentes
sua, priuabuntur eleemosynis.

Ne quis viuens eleemosynis frequentet œnopo- 26.
lia, aut similia loca illis illicita, sub pœna correctionis
iudicio Scabinorū, neque ijdē alent canes sub pœna
suspensionis eleemosynarum, iuxta placitum cōmis-
sariorum, & magistrorum mēsarum sancti Spiritus.
Quod etiam seruabitur, dum maritus recipit elee-
mosynas, non vxor, & contrà.

Quòd nulli hospites aut œnopolæ excipiant vi- 27.
uentes eleemosynis pauperum, sub pœna 10. libra-
rum Parisiensium, periclitabunturque in solutione
contractorum debitorum per pauperes.

Quòd nullus elocans domum, aut cubiculum in 28.
septimanis pauperibus, expectet vltra tres septima-
nas in petendo pretio conductionis, sub pœna non
assistentium iustitiæ in eo acquirendo: poterit tamē
elocator deferre querelas apud commissarios ac ma-
gistros mensarum S. Spiritus, quo ipsis satisfiat.

29.

Quòd bona defunctorum, qui vixerunt eleemo-
synis mensarum S. Spiritus, applicentur communi-
tati pauperū, sic quòd hæredes ad ea nihil iuris pos-
sint prætere, nisi ex gratia, aliqua consideratione,
Senatus aliquid illis concedat.

Ad progressū huius instituti vltra magistros men- 30.
sarū Spiritus S. singularū parochiarum cōmittantur
aliquot personæ ex præcipuis ac probioribus boni

nominis & cōuerfationis, quæ cogentur apud Magi-
stratum iuramentū præstare fidelitatis ac diligentiae
in hoc onere singularis charitatis. In parochia S. Ma-
riae 9. personę præter pastores, & magistros mensarū
S. Spiritus. In parochia S. Saluatoris similiter 9. per-
sonę. In parochia S. Iacobi 6. personę. In parochia S.
Vualburgis 3. personæ. In parochia S. Egidij 6. per-
sonæ. In parochia S. Annę, & crucis 6. personæ. Et in
parochia S. Catharinæ 3. personæ:

Responsio.

Articulus hic plattè repugnat scripturis sacris, sa-
ctisq; canonibus: nam repugnat scripturæ Act. A-
post. 6. ubi ita legimus: Crescente numero discipulorū
factū est murmur Græcorum aduersus Hebręos, eò
quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ
eorū: conuocātes autē duodecim multitudinem dis-
cipulorum, dixerunt: Non est equū nos derelinque-
re verbū Dei, & ministrare mensis: considerate ergo
fratres, viros boni testimonij 7. plenos Spiritu S. &
sapientia, quos cōstituamus super hoc opus. Factum
hoc Magistratus repugnat huic scripturæ. Primò,
quia hīc nullus cōqueritur quòd vidua sua despiciat-
tur in ministerio eleemosynarū: quia ædiles, & pa-
stres in suis parochijs singularē habēt curam earū,
& ipsis prospiciūt. Secundò duodecim Apostoli vo-
cant discipulos. Hīc Magistratus non est vocatus, sed
se ipse ingerit, & non tantum non vocat duodecim
Apostolos, nec episcopū, nec pastores eorū successio-
res, verum prorsus eos excludit, quāuis in speciem
inter 20. officarios, magistros mēsarum, ministros,
& adiunctos (vt ipsi loquuntur) pastorē (si velit) ad-
mittūt. Tertiò, Apostoli & discipuli elegerunt 7. Se-
natus verò hic plures elegit quā 70. Apostoli ele-

gerunt diaconos viros ecclesiasticos: Senatus verò hos præterit, & prophanos eligit: Apostoli non reliquerunt prorsus omnē curam pauperum diaconis, sed diaconi quasi eorū vicarij illam functionē administrabant. Nā quòd Apostoli post electos adhuc 7. Gal. 2. diaconos curā pauperum gesserint, probat Paulus, qui ipse, & Petrus dextris datis statuerunt cōmuni consilio se omnium pauperum curam habituros. Episcoporum igitur est, & pastorum secundum diuinas scripturas pauperum curam gerere.

Proinde heretica est, & indigna pectore Christiano sentētia illa Ludou. Viuis, qui in libello De subuentione pauperū ita habet: Nec sacerdotes vlli admisceantur huic negotio, ne obtētū pietatis & misfarū, vertant pecuniā in rem suam. Quare hoc non timebimus de sæcularibus, qui habēt familias, proles, cognatos, amicos seruos, & alias turbas, quibus cū teneantur ob seruicia, vel obsequia, aut beneuolentiā, procurato negotio ipsis curabunt de bonis pauperū esse prospectum. Grauari clerum inuidia apud populum nec est boni viri, nec Christiani officium quenquam traducere.

Præterea si Senatus vult se officijs ecclesiasticis ingerere, patiaturo etiam canonicos, & pastores admitti ad Scabinales dignitates, & alia officia ciuica administrāda promoueri: multo enim honestiūs clericus gubernabit rempub. quā homo laicus ecclesiam.

Fuerunt in primitiua ecclesia duo ordines pauperum: vnus qui è mendicato pane viuebat, alter egrotorum decumbentiū. Vtrisque prospexit ecclesia, nēpe Apostoli, & sui successores. Primi generis pauperibus dati fuerunt diaconi, qui singularem curā eorum gererent. Secundi generis miseris vlcerosis de-

cumbentibus consilio Apostolorum, ac suorum successorum erecta fuerunt xenodochia, hospitalia, & alia loca, in quibus tales recepti curarentur. His prospexerunt Patres de foeminis sanctis, quae Apostolorum, & sanctorum episcoporum consilio, ardenti charitate flagrantes his aegris curandis consecrabant sese. Nullum enim aliud ministerium publicum obire mulieres poterant, quam si in obsequium pauperum sese dedicarent. Hae mulieres vocabantur Diaconissae.

1. Timot. 5.

Has mulieres non promouebat Magistratus prophani, sed Patres, episcopi, & pastores ecclesiarum ex Apostoli instituto, qui praecipit eligendas esse viduas pauperulas, quae ab ecclesia alerentur in ministerium sanctorum pauperum. Has volebat esse sexagenarias unius mariti viduas. Has etiam mulieres propter etymologiam vocis, Diaconissas vocabant Patres, certa que benedictione ad hoc munus promouebantur: quod sacra concilia nobis testatum faciunt.

1. Canon. 25.

Quae benedictio istis diaconissis propter vicia quae irreperunt, fuit adempta in concilio quod habitum est sub pontifice Leone primo, ubi sic legimus: Diaconissae omni modo non sunt ordinandae: si quae iam sunt, benedictioni quae populo impenditur, capita submittant. In concilio Calcedonensi vniuersali. Rursum, in concilio Epaunensi tempore Gelasij primi.

Action. 15.

Canon. 15.

Vnde in concilio vniuersali Calcedonensi praecipitur diaconissam non ordinanda ante annum quadragesimum, & hanc cum summo liberamine. Hic idem canon repetitur de diaconissis in concilio Vuormaciensi circiter aetate Ludouici pij filij Caroli Magni habito. His diaconissis, & alijs diaconis, pauperumque ministris dicit Paulus: Qui tribuit in simplicitate, & qui miseretur in hilaritate, aliud doces esse tri-

Act. 15. canon. 15.

Rom. 12.

buere, & aliud misereri: illud spectat ad largitores; hoc autem ad seruitores & ministratores. Cùm nufquam legamus Magistratus ciuiles ab episcopo vocatos seu admissos ad huius prouinciæ administrationē, iniustè facit, qui hanc prouinciã sibi vsurpat.

Articulus.

31.

Inter quos commissarios quolibet anno tertius quisque cuiuslibet parochiæ defungetur suo munere, ac constituentur alij à Senatu, ex personis præsentatis scripto per cõmissarios & magistros mensarum Spiritus S. Magistratui, idque eo modo singulis annis seruabitur.

Responsio.

Senatus Brugensis cùm sit catholicus, & ecclesiæ dignitatis studiosissimus, non debet hoc negociũ ea forma exequutioni mandare: quoniã quàm plurima continentur, quæ Caluinus hæreticus petit etiam faciendã in præiudicium ecclesiæ, & ecclesiasticorum: Sunt etiam & Germani hæretici, qui huius sententiæ fuerunt authores.

Articulus.

32.

Quòd in qualibet parochia huius ciuitatis vnus cõmissariorum sit receptor particularis suæ parochiæ omnium eleemosynarũ, quæ in illa colligetur, ministrabitque ex illis cõmuni distributioni necessaria: & de omnibus receptis singulis mēsis tenebitur reddere rationē suis collegis, & alijs parochianis cupiētib; audire, restituendo si quid supersit. Sub finē verò anni subducetur generalis cõputus præsentẽ Senatu, solaque mercede æternæ retributionis pensabitur receptor.

Responsio.

Ecclesia constituere debet dispensatores eleemosynarũ pauperum, non Magistratus prophanus. Petro, & alijs pastoribus dixit Christus: Pasce oues

T

meas:

meas. hoc est secundum August. pasce, id est, gubernare, rege, ac moderare cuncta quæ ouibus meis fuerint necessaria tam in spiritualibus, quam in corporalibus.

Quid si rumpat fidem? *Articulus.*

33. Quod duo commissarij cuiuslibet parochiæ tenebuntur conuenire primo dominico die cuiuslibet mensis cum pastore in cubiculum mensæ S. Spiritus consultaturi de conseruatione, & augmento pij huius instituti. *Articulus.*

34. Constituat Senatus ad progressum huius constitutionis duos Scabinos, tres Consiliarios, & vnum Pensionariũ, qui vno die cuiusuis septimanæ in camera pupillorum dirimant controuersias obortas in hac subuentione pauperum.

Responsio.

Cum ecclesia, & episcopi ex iure diuino habeant suum Senatũ & tribunal, ad quod causæ pauperum sint referendæ vt discernantur, contra ius diuinũ facit dum eas Senatus ecclesiæ iudicibus eripere tentat, & ad se eas auocare intendit. Apostoli enim elegerant 7. diaconos, non tantum vt pauperibus elemosynas subministrarent, verum vt dissidia quæ inter ipsos pauperes, ac pauperũ ministros orirentur, cõponerent, & transigerent. Christus referente Matthæo, diuersum esse atque exemptum tribunal ecclesiasticum ab omni prophana iurisdictione ostendit, quando dixit: Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed quicumque uoluerit inter vos primus esse, erit seruus vester. Idem etiam habet Lucas.

Cap. 22.
Libro 2. De
subu. paup.

Hæretica est sententia Ludouici Viuis, qui ait:
Nihil

Nihil est in vrbe tam liberū, quod non subditum sit cognitioni eorum, per quos administratur respub. & quæ sequuntur; vbi conatur probare Magistratū pro suo arbitrata de legatis mortuorum posse disponere, quomodo voluerit. Opinio licentia plena, pernicio-
sa, & damnata.

Ratio etiā hoc postulat: nam cū ministeriū hoc non sit prophana aliqua villicatio, sed spiritualis, & Deo dicata functio quēdā, iure debet in loco sancto, & non prophano, & per viros spirituales, non sæculares administrari, & dissidia inde orta per eosdem sunt dirimenda.

Articulus.

35.

Placeat Magistratui statuere, quod medici & chirurgi habentes stipendium ciuitatis, teneantur requisiti à Scabinis, Consiliarijs, & Pensionario destinatis dirimendis difficultatibus pauperum mederi (dummodo sint curabiles) morbis, vulneribus, & alijs miserijs, quibus pauperes corripuntur.

Præterea nullā domum, aut cubiculum elocet aliquis extraneis personis, nisi sciatur vnde veniant, & cuius estimationis fuerint apud pastore, ac Magistratū loci per eū relictū sub pœna à Senatu præscribēda.

36.

Responsio.

Cū superius abundè sit declaratū atque ostensum, quam œconomiā ecclesia ab Apostolorū inde ætate in hac pauperū cura obseruauerit, Senatusque ea repudiata hanc nouitiam introduxerit, tenetur rationes omnibus Christianis reddere, quibus in eam deflexus fuerit sententiam, vt de abroganda vetusta, sacra & laudatissima ecclesiæ œconomia circa pauperum curam & subuentionem cogitauerit, & hanc nouitiā tantūm probet, vt sua auctoritate munitā in

opus perducere velit. Hoc expectamus, quòd Senatus, qua semper fuit deuotione in religionē catholicam, & in antiquitatē veneratione; nihil sit moliturus, quòd alteri harum possit incommodare.

Sequuntur grauissima incommoda, quae ex nouitia hac constitutione in causa pauperum decreta suborirentur, si in opus esset perducenda.

Violatur omnium iuriscons. prudentissimorū vetusta & constantissima sententia, scilicet, In nouis rebus constituendis euidentē perspectamque vtilitatē esse oportere, antequam ab eo iure, quod diu receptū sit, recedendi deliberatio instituat. Quam sententiā olim Persarum magi, & Locrensiū sapientes, omniumque gentiū iuriscōsulti, singulari religione, vti reipub. statui confirmando maximè necessariam; venerātes, in suis ciuitatibus obseruandā semper docuerunt. Non video cur in ciuitate Brugensi hæc veniat violanda.

Quia Reip. hæc nouitia instituta grauissima solēt adferre detrimenta, quando alicuius antiquæ cōsuetudinis aliquā coniūctam habent conuulsionē, teste Meccenate apud Dionē in illa sapientissima & elegantissima ad Augustum oratione, qua Imperatorē monet, nullam fore in reipub. pestem capitaliorē, magisque auertendam, quam vt veterē formam peruertere, nouam introduci, ac firmari patiat. Vulgò enim iactari, & verissimè solet ex religionis mutatione perpetuò cōsequi reip. conuersionē. Negociū verò pauperū ad religionē pertinere, nemo est qui dubitet.

Temerantur ac violantur omnium factorū canonum circa hanc pauperū causam omnes sacre regule, si hæc nouicia constitutio in opus producat. nihil

enim

enim continet quod sacris canonibus non sit aduersum & contrarium, quorum authoritas cum sit diuina, minimè, nisi hæresis labe intercedente, à quoquã Christiano contemni nec potest, nec debet.

Ex hac nouitia constitutione sequitur certa mensarũ S. Spiritus euersio, & politia, quã ab hinc quingentis, & vltra, annis ecclesia Brugensis in suis alēdis pauperibus retinuit, manifesta antiquatio: quod sine grauissimo scandalo populi, & magistrorũ mensarũ S. Spiritus offensione, & infamia fieri nõ poterit.

Ex hac nouitia constitutione sequeretur certa & manifesta honorũ xenodochiorum, & ecclesiarũ usurpatio: nam si nouitia hæc consuetudo exigit, vt residui prouentus xenodochiorum, & ecclesiarũ in potestatem Senatus redigantur decursò anno, certum est, quòd Senatus intendat gubernatores xenodochiorum, & ecclesiarũ ad rationes sibi quotannis de bonorum xenodochiorum, aut ecclesiarum expensione in alimoniã pauperum facta, subducendas compellere, vt qui inde residui deprehensi fuerint prouentus, in bursam illam ciuitatis conferantur. Quàm sit hoc indignum Senatu catholico, & Lutheranismò vicinum, viderint omnes tum pij, tum docti, tum etiam prudentes.

Miror fanè vel in mentem venisse viris catholicis, vt à viris ecclesiasticis de rebus ecclesiasticis in domo ciuica non modò rationes exigere velint, verùm ad residuas facultates sibi reddendas velle compellere.

Sequeretur certa & manifesta omnium xenodochiorum ciuitatis Brugensis, & earum ciuitatum, in quibus hæc nouitia constitutio exequenda reciperetur, euersio & ruina, & suorum redituum atque

bonorum euidentis occupatio. Nam cùm authoritate Senatus caueatur, ne exteri pauperes ad hanc ciuitatem confluentes diutius quàm per diem hærere possint, quin mox accepto minuto viatico, cogentur discedere: si postea ciuibus ægris interdixerit accessũ ad ea xenodochia, quæ modò extant, & ad id quod ipsis ab Senatu paratum fuerit, ire compellat, mox causificabitur Senatus ad se fore deuoluendos redditus, bona, & quicquid illa habebant xenodochia, vt pro suo arbitratu ea disponant, atque quibus voluerint pauperibus contribuunt. Derelinquentur ædes illæ spiritualibus officijs sacratæ, incultæ, & desolatæ, sen simque ecclesiæ Dei peribunt.

Possent illi viri, qui Senatus authoritate designarentur ad eleemosynarum distributiones faciendas, si, quod Deus auertat, alicuius hæresis labe essent contaminati, hæreticos pauperes ad publicã alimoniam recipere, catholicos verò negligere. Vnde manifesta religionis, & ciuitatis esset timenda peruersio. Quòd hoc malum sit timendum, prudentia docet, & quòd non facilè ipsi occurrì possit, experientia conuincit.

Bursarius ille, ad quem iuxta huius constitutionis decretũ suprã cõtentum, Senatus cõmunes eleemosynę redditus, legata, & omnia quæ pauperibus tribuerentur, vult deferri: posset cùm sit homo, fidẽ rumpere, & summa illa pecuniaria ablata quo vellet migrare: vnde grauissima pauperibus Christi accederet iactura.

Sequeretur ex ista multitudine ministrorum non exigua inter ipsos cõfusio, & interdum grauis altercatio, cùm sint homines à quibus nihil humani alienum

nam esse putabimus : qui item non minus quam sacerdotes interdum suis affectibus solent seruire. Unde graue incōmodum pauperibus sequeretur, cū quod quibusdam placeret, alij improbarent, proindeque nihil fieret.

Ciuius aufertur ea facultas, ne moribūdi in suis testamentis quos volent, suæ extremæ pietatis executores nominare possint, cū huius constitutionis decreto Senatus hoc officium quibus voluerit obendum in sua ciuitate committat.

Ciues moribundi ea facultate etiam priuātur, ne quibus voluerint pauperibus suas eleemosynas mādare possint ; cū Senatus velit, quæ pauperibus à mortuis legata fuerint, pro eorū arbitrātū, quos ipsi elegerint, pauperibus, qui sibi videbuntur, distribui, non quibus moribundi decreuerint.

Has rationes præcedentes velim Senatū, qua pleraque alia, prudentia, & circumsp̄ctione considerat, animo reputaret, cogitaretque quod maiores nostri sapientissimi rerumpub. gubernatores imprimis cauendum admonuerunt, ne vllius aut edicti, aut legis, aut discipline, cōsuetudinisque mutatio temerè tentaretur. Sic enim se rem habere prudenter prospexerunt, vt sicut corpora, cū è consueto & familiari victu ad nouum & insolentē traducerentur, conturbata in morbos graues inciderūt, ita non longè aliter respub. perniciosissimis seditionum, factionumque cupiditatum motibus laboratura esset, si vetusto eius statu conuulso, repudiatis maiorum institutis, abrogata aliqua diuturni temporis viuendi consuetudine, sursum deorsum omnia permiscerentur. Hinc illa Græcorum instituta, quæ postea Ro-

mani

manū suam in ciuitatem transtulerunt, quibus patria sacra coli, ritus Patrum, quoniam proximè antiquitas ad Deum accederet, seruari uoluerunt. Audeo mihi polliceri de integritate & religione Senatus Brugensis, quòd, ubi hæc, quæ animo Christiano ex uiris eruditione, experientia, prudentia, & magno iudicio præ cæteris eminentibus à me collecta, sibi que oblata, pro dignitate perpenderit, summam sit habiturus gratiam, ut qui meam operam suo seruitio non segniter nauauerim.

Quæcunque hoc libro continentur, pia sunt, sancta, & catholica, & quæ fidem catholicam confirmant, & auctoritatem ecclesiasticam à Christo institutam, & ab Apostolis traditam stabiliunt, ut merito imprimi debeat. Actū Bruxellæ, hæc 28. Augusti, anno 1564.

L. Metsius.

Animaduersa post impressionem.

Pa. 5. lin. 14. excellentiam suā. 6. 11. N. 11. 13. hæc. 9. 20. erroribus. 19. 2. deferendam. 31. 1. cuncta. 36. 6. profitebatur. 38. 9. mitterentur. 28. desideratur. 46. 4. erat. 44. 23. quæ. 49. 28. Apologetico. 51. 24. tractaret. 53. 23. Paulus. 62. 20. & ordine sacro. 64. 25. dixerit. 65. 4. sacro ordine. 25. iudicium. 27. Archidiaconus. 66. 11. cum. 67. 21. nec excidit. 74. 6. ipsi. 78. 26. desideratur, charitate. 28. dele scilicet, & pone quinto. 79. 26. coniuge refertur. 87. 30. spectent. 91. 9. ad eius potestatem. 101. 27. iudicandus. 102. 17. à Christo. 105. 2. inusta. 110. 23. Orientalibus. 112. 17. ad quem. 162. 1. Prætereo. 18. seruata. 113. 25. curaret. 117. 10. auderemus. 121. 19. superfluum est agere. 127. 4. superest, eorum. 5. honorificam. 24. exulare. 129. 22. debet. 132. 3. periret. 134. 1. ecclesia. 138. 10. productam. 149. 29. existimandum. 156. 29. dele auspiciari, & lege dispensari. 182. 4. sese occuparent. 201. 29. que 202. 13. considerant. 29. Senatus. 203. 25. sanguinaria 227. 18. tradiderunt. 229. 13. ut. 211. 29. Bernardinus. 237. 10. profusisti. 252. 18. punitum. 256. 1. conetur erroneus. 260. 3. ad posteros,

AD CATHOLI

CVM LECTOREM

AUCTOR LIBRI.



MICE LECTOR, VEHE-
menter te rogo, vt antea quam
sinistri aliquid de me suspice-
ris, caussas quæ me ad hunc
libellum scribendum impule-
rint, pro dignitate velis æstimare. Qua-
rum ea est prima. Videbam ecclesiæ Chri-
sti catholicæ & fidelium animabus graue
imminere detrimentum, quin certam ia-
cturam spirituales, si doctrinæ libellorum
de subuentione pauperum & de continen-
dis alendisque domi pauperibus executio-
ni mandarentur: vt quæ quam plurimâ con-
tineant ac tradant Lutheranismi ac Ethni-
cismi admodum vicina & nostræ fidei do-
ctrinis prorsus aduersantia ac repugnantia.
Propterea non potui committere, quin re-
clamarem: præsertim cum re ipsa iam pri-
dem deprehendissem libellum de subuen-
tione pauperum anno 1526. euulgatum fo-
mentum præstitisse, vnde stillæ, quæ modo
incendium aliquod ecclesiæ catholicæ inter

V

minan-

manū suam in ciuitatem transtulerunt, quibus patriā sacra coli, ritus Patrum, quoniam proximè antiquitas ad Deum accederet, seruari uoluerunt. Audeo mihi polliceri de integritate & religione Senatus Brugensis, quòd, ubi hac, quæ animo Christiano ex uiris eruditione, experientia, prudentia, & magno iudicio præ cæteris eminentibus à me collecta, sibi que oblata, pro dignitate perpenderit, summam sit habiturus gratiam, ut qui meam operam suo seruitio non segniter nauauerim.

Quæcunque hoc libro continentur, pia sunt, sancta, & catholica, & quæ fidem catholicam confirmant; & auctoritatem ecclesiasticam à Christo institutam, & ab Apostolis traditam stabiliunt, ut merito imprimi debeat. Actū Bruxella, hac 28. Augusti, anno 1564.

L. Metsius.

Animaduersa post impressionem.

Pa. 5. hm. 14. excellentiam suā. 6. 11. N. 11. 13. hac. 9. 20. erroribus. 19. 2. deferendam. 31. 1. cuncta. 36. 6. profitebatur. 38. 9. mitterentur. 28. desideratur. 46. 4. erat. 44. 23. quæ. 49. 28. Apologetico. 51. 24. tractaret. 53. 23. Paulus. 62. 20. & ordine sacro. 64. 25. dixerit. 65. 4. sacro ordine. 25. iudicium. 27. Archidiaconus. 66. 18. cum. 67. 21. nec excidit. 74. 6. ipsi. 78. 26. desideratur, charitatē. 28. dele scilicet, & pone quinto. 79. 26. coniuge refertur. 87. 30. spectent. 91. 9. ad eius potestatem. 101. 27. iudicandus. 102. 17. a Christo. 105. 2. inuita. 110. 23. Orientalibus. 112. 17. ad quem. 162. 1. Prætereo. 18. seruata. 113. 15. curaret. 117. 10. auderemus. 121. 19. superfluum est agere. 127. 4. superest, eorum. 5. honorificam. 24. exulare. 129. 22. debet. 132. 3. periret. 134. 1. ecclesia. 138. 10. productam. 149. 29. existimandum. 156. 29. dele auspicari, & lege dispensari. 182. 4. sese occiparent. 201. 29. que 202. 13. considerant. 29. Senatus. 203. 25. sanguinaria 227. 18. tradiderunt. 229. 13. ut. 211. 29. Bernardinus. 237. 10. proposuisti. 252. 18. punctum. 256. 1. conetur erroneus. 260. 3. ad posteros,

AD CATHOLI.

CVM LECTOREM

AUCTOR LIBRI.



MICE LECTOR, VEHE-
menter te rogo, vt antea quam
finistri aliquid de me suspice-
ris, cauffas quæ me ad hunc
libellum scribendum impule-
rint, pro dignitate velis æstimare. Qua-
rum ea est prima. Videbam ecclesiæ Chri-
sti catholicæ & fidelium animabus graue
imminere detrimentum, quin certam ia-
cturam spiritualem, si doctrinæ libellorum
de subuentione pauperum & de continen-
dis alendisque domi pauperibus executio-
ni mandarentur: vt quæ quam plurimâ con-
tineant ac tradant Lutheranismò ac Ethni-
cismò admodum vicina & nostræ fidei do-
ctrinis prorsus aduersantia ac repugnantia.
Propterea non potui committere, quin re-
clamarem: præsertim cum re ipsa iam pri-
dem deprehendissem libellum de subuen-
tione pauperum anno 1526. euulgatum fo-
mentum præstitisse, vnde stillæ, quæ modo
incendium aliquod ecclesiæ catholicæ inter

V

minan-

A D C A T H O L I C V M

minantur, sese attollerent. Nunquam enim ille alter libellus de continendis alendisque domi pauperibus in publicum prodijisset, nec articuli in negotio pauperum ita fuissent formati, nisi libellus de subuentione pauperum ipsis materiam subministrasset, strauissetque viam.

Altera caussa est: Videbam in libello de continendis alendisque domi pauperibus, religiosos viros eruditione ac pietate claros, tam indignè tractari, perinde ac si stupidi vel mente essent capti. Auctor enim illius libelli Christi caelestes præcones catholicos ac plerosque alios viros ecclesiasticos foedissimis nuncupationibus ipsos dehonestat, ipsosque blaterones, refractarios, ignorantes non tantum rerum, verum etiam vocum proclamat: eosdem etiam dicit homines esse numero, pòdere ac merito inferiores, proindeque iure contemnèdos. Dicit insuper hos viros ecclesiasticos tales esse, qui priuata communibus præferant, qui que etiam res propria ac priuata potius quàm publica vtilitate metiantur: & qui idcirco istud pauperum institutum cum graui suarum conscientiarum periculo non probent, quia cum suis rationibus non videant illud esse coniunctum.

Reuc-

LECTOREM.

Reuerendo etiam Patri fratri Dominico de Soto, Dominicano viro omnium disciplina- rum cognitione ornatissimo, sacre theologie in florentissima illa Salmantinorum schola primario professori, nostrique imperatoris Caroli quondam expiatori, quem, patres in primo illo Tridentino concilio, in summo habuerunt precio, ita insultat, vt inaudi- ta impudentia doctore catholico nostræ fi- dei egregio propugnatori iam rude donato, quin vita defuncto petulantia viciū obij- ciat: quod lector prudens qui ad eius libelli lectionem sese componere volet, facile de- prehendet, ita se habere. Ne igitur viri sacri tanto odio apud populum grauarentur, sta- tui apud me eorum dignitatem, ac innocen- tiam tuendam suscipere: ita vt prius obiecta & falsas criminationes diluerem, ac postea demum, quid ex diuinis literis ac traditioni- bus Christianis veniat in negotijs pauperum exequendum, ostenderem.

Auctor etiam libelli de subuentione pau- perum dogmatizat, viros ecclesiasticos ad pauperum eleemosynas dispensationem ne- que ad suarum rerum administrationem, fo- re admittendos, ne sub Missarum prætextu pauperum eleemosynas in rem suam cōuer-

AD CATHOLICVM

tant. Sæculares viros dignissimos iudicat ac maximè idoneos, quibus tuto pauperum fortunæ disponendæ committantur, qui quæ etiam eorum negotijs præficiantur: vtpote qui fideles, incorruptibiles ac inuiolabiles sint futuri illarum rerum custodes ac dispensatores: e contra verò ecclesiasticos profusores atque malæ fidei homines. Vt autem viros ecclesiastici ordinis à tam nefaria accusatione atque delatione vindicarem, annotare placuit quædam, ex quibus pij & integri facillè percipere possint, sæculares viros qui in horum pauperum bonorum sollicitudinem incumbunt, non semel atque iterum sese contaminasse. Ostendam vbi res postulauerit viros sæculares, qui mensarum sancti Spiritus eleemosynas administrandas susceperant, ex vna ciuitate ex piorum largitionibus fidelibus pauperibus contribuendis & ex alijs mensarum sancti Spiritus prouentibus ædes amplissimas sibi non pauperibus excipiendis construxisse. Ostendam etiam in alia ciuitate magistrum mensarum sancti Spiritus & pauperum protectorem non modo ex pauperum eleemosynis ædes magnificas sibi apparasse, verùm etiam demolitum fuisse quandam templi illius ciuitatis partem,

vt ex

LECTOREM.

vt ex ruinarum lapidibus electissimis illustre sibi domicilium pararet. Ostendam etiam alibi quendam mensarum sancti Spiritus magistrum non modo pauperes suis quotidianis eleemosynis ac beneficijs defraudasse, verum etiam fundos, prædia, annuosque prouentus & redditus ac pleraque alia bona, quæ in ipsorum pauperum subventionem pij viri morientes ecclesijs legauerant, in suum ita dominium transtulisse, vt iam pauperes inde nec panis morsum accipiant; sed coguntur miseri & afflicti exterarum ciuitates petere mendicaturi quibus victum & amictum sibi acquirant. Alia quam plurima hic recensere summa cum veritate possem, à quibusdam mensarum sancti Spiritus magistris commissa, quæ consultò prætereo, cum non sit animus viris qui illis muneribus præficiuntur inuidiam aut populi indignationem conflare, sed ecclesiasticos viros à calumnijs & falsis criminationibus vindicatos populo Christiano amandos proponere.

Tu igitur lector Catholice, vbi has rationes æqua bilance perpenderis, poteris iudicium facere, num ego iustissimam ac sanctissimam causam asserendam susceperim nec

AD CATHOL. LECTOR.

ne. Quæ si talis, qualem ipsam ego propono tibi fuerit deprehensa, me desines alicuius perturbati affectus insimulare, probabisque quod veritatis & pietatis atque iusticiæ in huius libelli prosecutione assertor fuerim. Vale.

